



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sponsalia Et Matrimonium

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

Titulus V. De Conditionibus appositis in Desponsatione, & alijs
Contractibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](#)

T I T U L U S V.

De Conditionibus appositis in Desponsatione, & in alijs Contractibus.

D E s p o n s a t i o n i b u s quandoque addi certae conditiones, modi, & demonstrationes solent, quarum varietas, & vis hoc loco declarari debet.

§. I.

De Conditionis Natura, Varietate, & affinibus ejusdem.

S U M M A R I U M.

1. Diversa nominis Conditio significatio.
2. Alia est Conditio strictè accepta, alia latè.
3. Hec primò dividitur in Conditionem de præterito, de presenti, & de futuro: secundò in Possibilem, & Impossibilem.
4. Possibilis subdividitur in Necessariam, & Contingentem.
5. Impossibilis in eam, que talis est ex natura rei, de facto, & de Jure.
6. Bonum Matrimonij triplex est, Bonum prolixi.
7. Bonum fidei conjugalis, & Bonum sacramenti.
8. Tertiò conditio alia est Suspensiva, alia Resolutoria; alia Expressa, alia Tacita.
9. Propriè dicta Conditio solum illa est, cuius eventus in futurum contingens est.
10. Proinde à propriè dicta Conditione deficit Conditio necessaria Impossibilis, & que est de presenti, vel de præterito.
11. Affinia Conditionis sunt Modus.
12. Causa, & Demonstratio.
13. An Sponsalibus & Matrimonio Conditio de futuro contingente apponi possit?
14. Defenditur pars affirmans.
15. Objectiones solvuntur.

Quartur 1. Quid sit Conditio? ^{RE} Hujus non una est significatio. Nam 1. interdum sumitur pro statu hominum. *S. fin. Inst. de Jur. personar. ibi, In Servorum conditione nulla est differentia.* 2. Aliquando pro qualitate rei v. g. Matrimonij 1. exige 65. ff. de Judic. l. capite 19. & l. tutor 36. ff. de Rit. Nupt. 3. Quandoque pro Optione, seu Elecione l. Papinianus 8. S. si quis 12. ff. de inoffic. testam. 4. Alibi pro pacto, seu Lege Contractus l. si societatem 6. ff. pro Socio, & l. debitori 7. C. de Pact. ibi, Ea conditione, patologe. 5. Nonnunquam pro Modo c. verum 4. b. tit. 6. Denique, & communissime pro circumstantia dispositio- ni adjecta, à cuius existentia dependere volumus valorem illius. König hic n. 1. Reiffenstuel ibid. n. 1.

In hoc ultimo sensu accepta Conditionem ad Titulum praesentem pertinet: & duplice potest accipi. 1. strictè, sive pro ea, qua de futuro, & contingente effectu est: & hoc sensu juxta Sylv. V. conditio n. 15. Gonzal. in c. 1. b. tit. n. 4. & alios est Oratio dispositionem in tempus, & eventum futurum incertum suspendens. 2. latè, & in sensu praesentis Rubricæ, prout includit etiam alia conditionum genera: & sic accepta ad mentem Zabarell. in c. verum 4. b. tit. Molin. tr. 2. de J. & J. D. 206. n. 1. Wagnerek ad Rubr. b. tit. not. 1. Wiesner ibid. n. 1. est Oratio, sive adjectio apposita, vel subintellæcta, suspendens, vel resolvens dispositionem Contractus, vel alterius actus, ejusque, qua ex illo nascitur, obligatiōnem.

Utroque modo accepta Conditione communiter explicatur per particulam, si ut Contrabo tecum Matrimonium, si pater tuus consenserit, vel Ducote, si virgo es &c.

Quæritur 2. Quotuplex sit Conditionis? ^{RE} Conditio latè accepta 1. dividitur in Conditionem de præterito, de presenti, & de futuro. Conditio de præterito dispositionem resolvit, & dependentem reddit ab aliquo, quod exitit; Conditio de presenti ab aliquo, quod actu existit; & Conditio de futuro ab aliquo, quod primum exiret s. sub conditione 4. Inst. de V.O.

Dividitur 2. In Conditionem possibilem, & impossibilem. Possibilis est, quæ se habet ad esse, & non esse, ideoque evenire, & non evenire potest. Impossibilis, cum quid fieri repugnat.

Possibilis subdividitur in Necessariam & Contingentem. Necessaria est, quæ ordine naturæ, vel aliæ omnino est extituta. Contingens alia est Potestativa, alia Casualis, alia Mixta. Potestativa, seu Arbitraria nuncupatur, quæ dependet à sola, & libera voluntate ejus, qui vel dando, vel faciendo illam implere potest, qualis est, *Ducam te, si Christianam Religionem amplecti volueris.* Casualis, quæ pendet ex futuro eventu, & ex voluntate tertij, ut, *Ducam te, si Imperator vicerit Turcam.* Mixta, quæ partim casualis, ac fortuita, partim arbitria est, ut, *Ducam te, si redieris ex Italia:* quod tam à fortuna, quam à voluntate abeuntis pendet. Canul. ad Rubr. b. tit. n. 1. Gonzal. in c. 1, eod. n. 5. König hic n. 5. & 6.

COP.

Condition impossibilis alia est talis ex *natura rei*, cui natura est impedimento, quo minus existat, ut, *Ducam te, si Hirco cervum coperis.* Alia talis est de *falso*, cum quid *Jure*, & natura fieri potest, propter difficultatem tamen impossibile judicatur, ut *Si monumen tum aureum in dotem dederis.* Alia denique talis est de *Jure*, ut cum pro conditione ponitur res *Lege prohibita*; quod enim *Lege* non licet, id nec posse censemur. *L. filius 15. ff. de condit. Inst.* Et haec iterum alia est contra substantiam Matrimonij; alia quae non repugnat substantia Matrimonij.

Contra substantiam Matrimonij pugnare censetur Condition, quando pugnat contra triplex bonum Matrimonij, videlicet contra bonum prolis, bonum fidei, & bonum Sacramenti. Primum bonum spectat procreationem, & educationem liberorum; quamvis enim proles, & harum generatio non sit de substantia Matrimonij, ex consensu tamen in hoc praesito nascitur obligatio ad exhibendos, si perantur ab altera parte, actus ex se aptos ad generationem prolis, & nihil illicite agendum, quo ejus procreatio impediatur. Unde Bono prolis repugnant conditions, contractui nuptiali adiecta, de sumenda potionе sterilitatis, aut ea alio modo procuranda; de semine extra vas emitendo, & impedienda consummatione copulae carnalis, prolisque conceptione; de procurando abortu, aut prolixe natu suffocatione, vel alia ejus peremptione &c.

Alterum Matrimonij bonum consistit in mutua fidelitate, quam conjugum uterque alteri servare tenetur, non solum reddendo debitum conjugale, si petatur, sed etiam alteri se non commiscendo. Hunc Bono adversantur Conditions, Matrimoniorum contractui adiecta, quibus vel excluditur obligatio etiam radicalis ad exhibendos sibi mutuo actus conjugales, vel imponitur obligatio pro quaestu se prostituendi aliijs.

Tertium Bonum poscit individuam societatem vita, quam omnimodam consequutum est Matrimonium consummatum inter filios, ex elevatione ejusdem ad dignitatem Sacramenti. Cum hoc Sacramenti bono pugnant conditions, Matrimonio adiecta, de vita societate restricta ad certum, vel incertum tempus, e.g. *Duco te, & habebo te pro conju ge mea, donec Sponsa opulentior, nobilior, honorior &c. offeratur*; vel quamdiu mibi non displiceris; aut nisi libellum repudij tibi dedero &c.

Dividitur 3. Condicio in Suspensi vam, & Resolutoriam. **Suspensiva** dicitur, quae actus obligationem, seu effectum suspendit, donec conditio existat, ut si dicas, *Duco te, si in dotem afferas mille.* **Resolutoria**, quae non obstat, quin contractus, vel actus ab initio sit purus, facit tamen,

R.P. Schmalzgrueber L. IV.

ut possit resolvi, v. g. *Contrabo tecum, do nec aliam diuorem invenero.*

Dividitur 4. in Expressam, & Tacitam. **Expressa** est, quae conceptis verbis apponitur. **Tacita**, quae actui alias inest, etsi non exprimatur. Cujusmodi alia sunt Generales, quae nempe cuilibet contractui tacite insunt, ut in Sponsalibus, *Si nullum intervenierit impedimentum, si res in eodem statu permanenter &c.*

Quæritur 3. Quænam ex enumeratis Conditionum speciebus sint propriè dictæ Conditions? 1. propriè Condition solum est, cuius eventus in futurum contingens est. Patet ex l. *Institutio 10. ff. de condit. inst.* ibi: *Cum nulla sit conditio, que in praeteritum confertur, vel in praesens, veluti si Rex Partborum vivit, si navis in portu stat.* Ratio est, quia natura veræ conditionis est suspendere valorem actus, & obligationem illius, atque facere, ut actus possit subsistere, vel deficere, juxta existentiam nempe, & defectum conditionis, hoc autem non fecit conditio de præsenti, vel de præterito l. *cum ad praesens 37. ff. de reb. credit. & S. conditiones 6. Inst. de V. O.* ibi, *Conditiones, que ad praesens, vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt, veluti, si Titius consul fuit, vel si Mevius vivit, dare spondes?* nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio; fin autem ita se habent statim valet.

Ploinde à natura propriè dictæ Conditionis deficient 1. Conditio necessaria; que enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint, prout dicitur *S. conditiones cit.* 2. Conditio impossibilis: quia cum certum sit non eventuram, ex ejus eventu valor, & obligatio actus suspendi nequit l. *impossibilis 7. & l. in illa 8. ff. de V. O.* 3. Ea, quae de præsenti, vel præterito est; quia dispositionem, & obligationem non suspendit *S. conditiones cit.* & l. itaque *39. ff. de reb. cred.*

Quæritur 4. Quænam fint Affinia Conditionum? 1. Conditioni affinis est Modus, Causa, & Demonstratio. Modus secundum *Sylv. V. conditio n. 3. Engl. bic n. 3. König ibid. n. 29.* & alios passim est adiectio aliquius oneris, ad quod post contractum perfectum obligare volumus contrahentem. Commuter exprimi solet per dictiōnēm *ut v. g. Ducam, vel duco te, ut divitias, vel honorem consequar.* *Sylv. l. cit. Pirh. bic n. 1. Wieschner n. 2.* Differet à Conditione; quia Conditioni dispositionem, & obligationem ferè suspendit, ita, ut hæc effectum non consequatur, nisi illa verificetur; Modus autem dispositionem perfectam supponit, eamque duntaxat temperat oneris adiectiōne l. *si doceas 1. & l. seqq.*

A 2 2

seq. C. de Donat, que sub dom. Sc. Gloss. in c. verum 4. b. tit. V. conditione, Abb. ibid. n. 2. Vivian. ad c. cit. v. nisi hoc, Engl bic n. 3. König n. 29. Wielther n. 2.

12 *Causa* tunc apponi Contractui dicitur, quando denotatur *causa*, ob quam contrahitur. Explicatur per dictioem Quia, ut, *Contrabo tecum, quia dives, vel pulchra es,* Engl n. 6. König n. 27.

Demonstratio fit, quando exprimitur aliqua qualitas, per quam determinatur, vel demonstratur persona, cum qua contrahitur, ut, *Duco te, quae es libera, vel virgo,* aut *filia hujus Principis Sc. Sylv. l. cit. Wag-*nerech ad Rubr. b. tit. not. 3. Engl n. 5. König n. 28.

13 Quæritur 5. An Sponsalibus, & Matrimonio conditio de futuro contingente apponi possit? Negant Sot. in 4. disf. 29. q. 2. art. 1. v. rufus, Covar. p. 2. de Spon- sal. c. 3. n. 2. Sanch. l. 5. de Matrim. D. 1. n. 5. & videtur istud probari. 1. Quia Sponsalia, & Matrimonium sunt actus legiti- timi, sed actus legitimi nec conditionem, nec diem recipiunt juxta Reg. actus legitimi 77. ff. & Reg. 50. de R. f. in 6. ergo &c. 2. Quia quandiu Conditio pendet, Matrimoniū non est, cùm, ut *infra* n. 57. dicetur, casu, quo ante eam impletam Matrimoniū per verba absoluta contrahitur cum alia, istud valeat, & prius conditionatum tollatur. 3. Quia Matrimonium ad id est institutum, ut ita sit ex eo sequatur purus effectus cohabitationis, & conjunctionis mutuae, qui effectus pendente conditione non sequitur.

14 Sed dicendum, posse Matrimonio, & Sponsalibus apponi Conditionem etiam in futurum pendenter. Ita post *Glossam*, & *Abbatem Canis. in Rubr. b. tit. n. 3. Zcel. bic n. 5. fin.* König *ibid. n. 14.* & patet ex eo, quia Sponsalia, & Matrimonium se- quuntur naturam ceterorum Contractuum. atqui Contractus ceteri (nisi alter sit Jure dispositum) fieri possunt sub conditione in futurum pendente. ergo etiam Sponsalia, & Matrimonium. Excipiuntur Conditions, quæ substantia Matrimonij repugnant; hæ enim, ut n. 117. dicetur, ejus Contractum vitiant. Et talis est Conditio Resolutoria; cùm enim Matrimonium inducat vinculum ex natura sua indissolubile, sequitur eidem repugnare Conditionem, quæ illud semel le-

gitimè contractum dissolvat. Intelligendum autem istud est de Conditionibus adjectis arbitrio contrahentium; nam eidem Matrimoniū non reprobatur Conditio resolutoria, quæ ipso Jure inest, prout omni Matrimoniū Ratio inest Conditio, Nisi statua per- fectiore elegero per Professionem solem in Religione approbata, vel Nisi Pontifex di- spensaverit. Aliter sentiendum de Spon- salibus de futuro; hæc enim contrahi sub conditione resolutoria non tantum illa, quæ Jure inest, sed arbitraria etiam possunt, ut bene notat Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 3. n. 133. Ratio est, quia etiam, quando absolute contracta sunt, mu- tuo contrahentium consensu dissolvi possunt. Igitur etiam ab initio conrrahi possunt sub conditione resolutoria, cuius virtus, & effectus erit, ut interim, dum pendet condi- tio, Sponsalia sint valida, ea vero eve- niente, dissolvantur.

Neque obstant Argumenta Senten- tie opposita. Ad 1. Regula illæ intelligi debent de actibus, quibus ex natura rei, vel ex speciali Legis dispositione conditio adjici prohibetur, quod v. g. ijs præscripta sit cer- ta forma, ut sunt Sacramenta Baptismi, Poenitentia, Eucharistia &c. non autem de actibus, qui à voluntate nostra dependent, ut sunt plerique Contractus, & inter hos etiam Sponsalia, ac Matrimonium; hæc enim nec certam formam à Lega Divina habent, ne- que à Jure recipere conditionem prohiben- tur, immo clare permittuntur c. de illis 3. & c. super eo 5. b. tit. Ad 2. Ad Matrimonij essentiam requiritur, ut sit consensus de præ- senti, qui haberur, etiamsi addatur ei conditio in futurum pendens: erit igitur ante completam conditionem Matrimonium, quavis nondum in suo esse perfectum; quod novum non est, sed commune cum omnibus actibus, & contractibus, cum conditio- ne in futurum pendente initis. Ad 3. Antecedens simpliciter verum non est, cùm con- stet hunc effectum suspendi posse primo bi- mestri, quando unus contrahentium de Reli- gione ingredienda deliberat: si ergo effec- tus purus non statim sequi debet, natura hu- jus Contractus conditionem non excludit. Restat ergo, ut examinetur ulterius, quales conditions admittantur in Ma- trimonio, & Sponsalibus.

Unde sit,

§. II.

De Conditione Honestæ Possibili.

S U M M A R I U M .

16. 17. An Matrimonio adjici possint Conditiones intrinsecæ, & quid operentur?
18. Quid sentiendum de Matrimonio contracto sub conditione, Si DEO placuerit?
19. Condicio de presenti, vel preterito adjecta Matrimonio illius valorem non suspendit.
20. Sed hoc statim valet, si conditio talis impleta sit, etiam si contrahentes ignorant impletam esse.
21. 22. Si impleta non sit, non convalefecit per copulam subsecutam.
23. Quod intelligendum est nunc post Tridentinum.
24. Solvitur dubitandi Ratio.
25. Et confirmatur Sententia.
26. Si Matrimonium contrahatur sub conditione de futuro necessario, statim producit obligationem.
27. Quod etiam dicendum, si contrahatur sub conditione contingente, sed infallibiliter eventura.
28. Exceptions.
29. Condicio de futuro contingente honesta, valorem Sponsalia, & Matrimonij suspendit.
30. Si apponatur in ipso contractu.
31. Et interea non sit recessum à conditione.
32. Ipse conditio substantiae Matrimonij non repugnat.
33. 34. Ut sponsalia, posta conditione, obligent, non est opus novo consensu, nisi interea revocatus sit consensus prior.

35. An idem dicendum de Matrimonio?
36. 37. Defenditur Sententia Affirmans.
38. Solvuntur Objectiones.
39. Sacramentum conficitur à sic conditionatè contrahentibus tum, cùm impletur conditio.
40. Etiam si contrahentes ne sciant illam evenisse.
41. Et tunc cogi possunt ad coabitandum.
42. Utrum nunc post Trid. necessarium sit, ut etiam impletioni conditionis Parochus, & testes interfici?
43. Præsentim si de impletione conditionis non constet publicè?
44. Eccl. Propugnatur Sententia negativa.
45. Argumentum Sententie aduersæ diluitur.
46. 50. Quando Conditio hec, Contrahabetur cum, si patri placuerit, censeatur impleta?
51. 52. 53. Quid si Pater primò dissentit, deinde consentit?
54. Quando aliquis cum conditione de futuro contraxit Sponsalia cum duabus, prevalent priora?
55. An idem dicendum fit de casu Matrimonij cum duabus contracti?
56. 57. Respondetur distinguendo.
58. Solvuntur Argumenta opposita.
59. Non facile permittenda sunt Matrimonia sub conditione in futurum pendente.

Condiciones Honestæ Possibilis secundum dicta §. prec. possunt esse vel Intrinsecæ, qua tacite intelliguntur, vel Extrinsecæ, qua, ut adiectæ dici possint, debent esse expressæ: & ex his aliqua sunt de præterito, alia de præsenti, alia de futuro.

16. Quæritur 1. An Matrimonio adjici possint Conditiones intrinsecæ, & quid adiectæ operentur? De primo membro Quæstionis dubium esse non potest; quia cum hæc conditiones naturæ insint Matrimonio, nihil vetat eas exprimi, & explicitè apponi. Quod alterum ejus membrum videndum est, quomodo adjiciatur talis conditio; nam si eo prorsus modo adjiciatur, quo modo necessariò inest, relinquit Matrimonium purum, & absolutum, nec suspendit ejus valorem: cons. circa valorem Contractus nihil operatur. Circa valorem, inquam; nam quoad liberationem à poena, in male contrahentes lata, efficax est. Et hinc, ut Sanch. l. 5. de Matrim. D. 1. n. 14. notat, qui scienter contrahit cum consanguinea sub ea conditione, *Sin non es consanguinea, minimè incurrit Excommunicationem*, quæ per Clem. us. de consang. & affinit. lata est in contrahentes scienter cum consanguineis. Ratio est, quia hac Censura Ecclesia punit finistrum affectum contrahentium, quem minimè ostendunt consanguinei ineuntes Matrimonium sub data conditione.

At si aliter, quam quo modo inest, apponatur talis conditio, ut si contrahens dicat, *Contraho tecum, si Ecclesia judicaverit, nullum inter nos esse impedimentum*, jam erit verè conditio, & Matrimonij valor suspendetur, dum Ecclesia, præmissa solerti indagine, pronuntiaverit, nullum inter Sponsos intercedere Impedimentum; sub hac enim conditione censetur esse contractum. Sanch. l. cit. n. 12. & 13.

Dubium est, quid sentiendum de Matrimonio contracto sub conditione, Si DEO placuerit? In quo diversæ DD. sententiae sunt; nam Gloss. in c. un. fin. de Sponsal. in 6. putat esse Sponsalia conditionata. Alij contraria cum Archidiacono, Rosella, Tabiena, Santo id negant. Non pauci cum Joanne Andrea, & Franco distinguunt, & conditio-

nalia esse afferunt, quando subest impedimentum; secus, quando non subest.

18 Has in speciem dissidentes Sententias componit Sanch. *l. cit. n. 11.* distinguendo; nam si contrahentes sub hac conditio-ne, id intelligent de *Voluntate beneplaciti*, quā DEUS omnia, quæ sunt, aut vult, aut permittit, conditio hæc non suspendet con-sentum; quia est conditio generalis, & in omni contractu intelligitur. Si verò intelligent de voluntate DEI approbante, quasi sentiant, *si contractus DEO non displiceat, sed sit juxta ejus beneplacitum*, conditio sus-pendet obligationem ex tali contractu, sicut in actu 2. donec confiterit, eum placere DEO; quia multa, quæ sunt, sunt contra beneplacitum Divinum. Proin DD. qui afferunt Sponsalia, sub tali conditione con-tracta, esse conditionalia, intelligendi sunt de voluntate posteriori; de priori autem, qui negant.

Quæritur 2. An obligations Contractus Matrimonialis, vel Sponsalitij sus-pendat, aut vitiet adjecta Conditio de præterito, vel præsenti, v. g. *Duco te, si es virgo, nobilis, dives.* si Pater tuus est mortuus, si Titius ex Italia venit &c. *¶* Negativè: sed statim contrahens est obligatus, si conditio est, vel fui posita; contrà non est obligatus, si non est posita, neque contrahitur eo casu obligatio, etiam si conditio talis postea impleatur. Ita S. Thom. *in 4. dist. 29. q. un. art. 3. q. 3.* Sanch. *l. 5. de Matr. D. 6. n. 1.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 1.* Conink *D. 29. de Sacram. n. 8.* Palao *tr. 28. D. 2. p. 11. S. 1. n. 1.* Canis, *ad Rubr. b. tit. n. 1.* Wex Ariadu. *p. 5. tr. 2. §. 6. n. 10.* Wagner *in c. fin. V. si turpes, not. 3.* Vallens. *bic n. 3.* Zœl. *n. 1. ¶* Schambog. *n. 2.* König. *n. 7.* Reiffenstuel. *n. 12.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Sponsal. c. 2. n. 86.* Ratio est, quia Contractus ex voluntate, & conventione contrahentium legem, & conditionem accipiunt juxta Reg. *Contractus 85. in 6.* igitur si contrahentes in Matrimonium, & Sponsalia consenserunt sub conditione nobilitatis, paterna mortis &c. his existen-tibus, statim nascitur obligatio. *Conf.* quia in alijs Contractibus conditio de præsenti, vel de præterito non suspendit obligatio-nem, sed ea si vera est, valet contractus; si verò non est vera, non valet §. *conditions 6.* *Inst. & l. si stipulatus 120. ff. de V. O.* ergo idem dicendum de Matrimonio, cum hoc Contractus naturam retineat.

Proceditque hoc, et si contrahentes 20 ignorent positam esse conditionem, ut contra Conink *l. cit. n. 6. ¶ 9.* docent Laym. *n. 1. cit. v. neque verò, Pal. n. 3.* König. *n. 17.* Reiffenstuel. *n. 12.* & sumitur ex *l. cùm ad præsens 37. ff. de reb. credit.* nam existentia Conditionis, non scientia alligatur suum consensus. *Ex quo sequitur,* inva-lidum esse Matrimonium, initum cum mu-

liere sub conditione, *Si legitima es*, quan-do illa legitima esse creditur, & non est, ut colligitur *arg. l. cit.* & notant Fagnan, *in c. fin. b. tit. n. 14.* Wiestner *bic n. 3.* Reiffenstuel. *n. 17. ibid.* & patet ex ratione; nam Conditio illa possibilis est, & honesta, & quidem de præsenti. Conditio autem possibilis, & honesta de præsenti, vel præterito, contractui nuptiali adiecta, si vera est, conjugium statim validum; si verò fal-sa, statim secundum modū dicta irritum reddit. ergo &c.

Dubium est, an Matrimonium, quod initum est sub conditione de præsenti, vel de præterito, convalescat, subsecutā carnali copulā, ita, ut etiam dæctā postea non existentia conditionis, qui sic contrarerunt, amplius separari nequeant? *Ratio dubitan-dū* sumitur à paritate cum conditione de futuro contingente; nam si v. g. aliquis contraxerit Sponsalia, & Matrimonium sub conditione, *si pater consenserit*, & ante illius eventum ita despontatam carnaliter cognoscat, à conditione recessisse præsumitur *c. de illis 3. c. super eo 5.* & præsertim *c. per tuas 6. b. tit.* etsq; præsumptio ista Juris, & de Jure, ita, ut contrarij probationem directa non admittat. igitur pariter à conditione recessisse censebitur, qui postquam contraxit sub conditione de præsenti, vel de præterito, ante habitam notitiam, quod ea non existat, vel extiterit, copulam car-nalem cum Sponsa habuit.

Sed dicendum, per ejusmodi copula Matrimonium, sub tali conditione ini-tum, non convalescere, vel confirmari. Ita Abb. *in c. per tuas cit. n. 4.* Ancharen. *ibid. n. 3.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 1. n. 13.* Fagnan. *in c. per tuas cit. n. 22.* Gobat Theol. Exper. *tr. 10. n. 452.* Wiestner *bic n. 6.* Reiffenstuel. *ibid. n. 14.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Sponsal. c. 2. n. 86.* Ra-tio est, quia conditio de præsenti, vel de præterito, adiecta actui, vel contractui, & non impleta illum initio invalidum, ac nullum reddit, secundum dicta *n. 19.* igitur nec subsecuta eundem copula confirmare eundem potest; ut eniat confirmet contractum Matrimoniale, deberet inita esse animo con-jugali, non fornicario. atqui animo conju-gali inita esse non potest, cum Matrimoni-um, copulatum præcedens, utspte condi-tione non posita, sub qua contractum est, nullum, & irritum sit.

Procedit autem hoc post Tridentinum, & in locis, ubi ejus Decretum de Matrimoniio clandestino receptum est; nam ante Trid. & in locis, ubi Decretum istud receptum non est, ad excludendum peccatum admisso copulæ post Sponsalia conditionatè inita ex præsumptione Juris est con-sensus virtualis absolutus, quo præsumitur contractum de novo Matrimonium, exclusa con-

conditione, quæ proin censetur esse remissa per textus cit.

²⁴ Ad Rationem dubitandi distinguendum est inter Sponsalia de futuro, & Matrimonium: si post Sponsalia, sub conditione de futuro inita, secuta fuit carnalis copula, vi textuum cit. præsumitur remissa conditio, quia per hanc valor illorum fuit suspensus ex eventu ejusdem conditionatè solum, quamdiu ligari illâ contrahentes voluerint, à qua recedere pro arbitrio suo possunt. In Matrimonio verò, ut recessus à conditione facere illius contractum absolutum possit, in locis, ubi receptum est memoratum Trid. Decretum, necesse est, ut hic eorum recessus innoteat Parocho, & testibus; alias enim, usque dum eveniat conditio, cum qua primo contractum est, testificari isti de Matrimonio absolute contracto non poterunt, & sic illud clandestinum, & invalidum erit.

²⁵ Ex quo proin confirmatur Responsio n. 22, data; nam ut Matrimonium, sub conditione de futuro contingente contractum, fiat absolutum, necesse est, ut vel eventus conditionis, vel recessus ab ea innotescat Parocho, & testibus. Igitur idem necessarium etiam erit, ut per recessum à conditione de præterito, & futuro, quem ex copula subseguente Jus præsumit, valeat, & confirmetur Matrimonium, sub ea conditione initum: quod si sit, jam censembit initus Contractus novus, cum prior contractus, utpote non existente conditione, fuerit absolutè nullus, & sic confirmari, nisi per novum contractum, nequeat. Et hoc discrimen est inter Matrimonium contractum sub conditione de futuro, & inter contractum sub conditione de præterito, vel de præterito, quod illius valor sit tantum suspensus, istud verò absolutè nullum sit.

²⁶ Quæritur 3. Utrum Sponsalia, vel Matrimonium suspendat, aut vitiet Conditione de futuro possibilis, & honesta, ipsis apposita? ²⁷ Cum distinctione? Vel enim conditio illa est de futuro necessario, vel de futuro contingente.

Si primum, ut si contrahens dicat, *Contrabo tecum, si sol cras orietur*, Sponsalia, vel Matrimonij obligatio ejus adjectio non suspenditur, vel vitietur, sed statim datur perinde, acsi purè, & sine conditione fuissent contracta. Ita S. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 3. q. 3. Navar. Man. c. 22. n. 66. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 2. n. 10. Sanch. l. 5. de Matr. D. 2. n. 2. Conink. D. 29. de Sacram. n. 8. ²⁸ idem. Pont. l. 3. de Matr. c. 1. n. 8. Palao tr. 28. D. 2. p. 11. §. 2. n. 1. Caris. ad Rubr. b. tit. n. 1. Barbo. in c. eod. n. 1. Gonzal. in c. 1. n. 5. ²⁹ in c. fin. n. 5. Wagnereck ibid. ²⁸ si turpes not. 4. Fagnan. n. 16. Wex Arind. p. 5. tr. 2. §. 6. n. 11. Vallens. hic n. 3. Zœl. n.

7. Honor. n. 4. Pirhing. n. 11. Schambog. n. 9. König n. 18. Reiffenstuel n. 10. Wieltner n. 7. & colligitur ex l. si pupillus 9. §. qui sub conditione i. ff. de Novat. ibi, *Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino extitura est, purè videtur stipulari.* Ratio est, quia cum ejusmodi conditio jam sit determinata in causa, pro præsente, & jam existente habetur. Atqui si præfens effet, & jam existet, statim obligationem induceret. Igitur eam inducit, etiam si nondum existat.

Idem dicendum, quando apposita ²⁷ est conditio contingens, sed quæ infallibiliter est eventura, qualis est, si Antichristus venerit, ut contra Adrian. in 4. q. 3. de Matr. dub. 16. ante §. ad rationes, & toto dub. 17. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. dub. 2. n. 11. Henrig. l. 11. de Matr. c. 12. n. 4. melius docent Lud. Lopez p. 2. Instruc. de Matr. c. 43. ad fin. Sanch. l. 5. de Matr. D. 2. n. 7. Palao §. 2. cit. n. 2. quia ratione suæ infallibilitatis reputatur quasi necessaria; ideoque non debet censeri apposita ad suspendendum consensum, sed ad ejus certitudinem demonstrandam. *Neque obstat*, quod talis conditio nondum sit præsens in causis suis, cum effectus non connireatur in causa proxima determinata; sufficit enim, quod sit determinata in Præscientia Divina, & hoc ex Scriptura testimonio notum sit contrahentibus. Sanchez l. cit.

Excipitur 1. Si contrahentes putent, conditionem, quæ revera est necessaria, esse contingenter; tunc enim sortitur effectum conditionis contingentis, & suspendit contractum usque ad eventum conditionis; quia in eorum intentione contingens est. Henrig. l. 11. de Matr. c. 12. n. 4. Petr. de Ledel. de Matr. q. 43. art. 5. dub 2. concl. 3. Sanch. l. cit. n. 3. Schamb. n. 9. König n. 18. & alij supra.

Excipitur 2. Si ex circumstantijs fa ²⁸ cilè colligatur, talem conditionem non apponi tanquam conditionem, sed tanquam temporis præfinitionem, ut si quis dicat, *Contrabo tecum, si pater meus morietur*; et si enim conditio hæc necessaria futura sit, conditio tamen in diem signatum fertur, & sic de futuro est; quia sensum parit. *Contrabo tecum, quando pater meus obierit* arg. l. heres 79. ff. de condit. & demonstr. Sanch. n. 6. Conink. n. 8. Barbo. n. 5. Zœl. n. 7. Pirhing. n. 11. Schambog. n. 9. Reiffenstuel n. 11. König n. 18. fin. Pro quo considerandæ sunt circumstantiæ; si enim adjacenti fuerit commodum, contractum ante illud tempus non esse absolutum, credibile est, voluisse apponere ei tempus, tanquam conditionem: secus, si ejus omnino nihil intererat, an statim, an postea impleretur Conink l. cit. ²⁹ in dubio.

Si secundum, & Conditio apposita ²⁹ Sponsalibus, vel Matrimonio sit de futuro contingente, nisi illa conditio substantia Matr.

trimonij contraria sit, suspendit obligacionem, & valorem Sponsalia, & Matrimonij sub tali conditione contracti, ita, ut ante ejus eventum non valeant, neque obligent. Ita Sanch. l. 5. de Matr. D. 6. n. 2. Conink D. 29. de Sacram. n. 9. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 2. Palao tr. 28. D. 2. p. 11. §. 2. n. 3. Vivian, in c. de illis 3. b. tit. pr. Barbol. in c. quicunque 1. eod. n. 2. Gonadal. ibid. n. 8. & in c. per tuas 6. n. 2. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. §. 6. n. 12. ¶ 14. Zœl. hic n. 5. ¶ 6. Pirhing n. 4. Schambog. n. 2. König n. 19. Wiestner n. 8. Reiffenstuel n. 15. & alij communiter. Sumitur ex c. de illis cit. & c. super eo 5. b. tit. Ratio est, quia generatim loquendo Conditione propriæ dicta, & de futuro contingente suapte naturâ suspendit contractum, cui adjicuntur l. f. ita stipulatus 97. §. si tibi a. ff. de V. O. unde cum nullo Jure à Matrimonio rejiciantur conditions honestæ, & possibiles, sed tantum turpes, & impossibiles, ut constat ex c. fin. b. tit. etiam Matrimonio additæ suspendent Matrimonium, & efficient, ut non valeat, donec impleatur conditione. Excipitur casus extraordinarius, quo quis impedit culpabiliter, ne conditione impleretur. Tanner. D. 8. q. 1. n. 66. Sporer de Matr. n. 181. Wex n. 12. cit. conformiter l. in Jure 161. ff. de R. J. ubi Ulpianus, in Jure, inquit, Civilis receptum est, quotiens per eum, cuius interest conditionem non impleri, fiat, quod minùs impleatur, perinde haberi, acsi impleta conditio fuisset.

30 Dubium est, quando obligationem, & valorem Sponsalia, vel Matrimonij suspendat Conditione de futuro contingente possibili, & honesto? Ut vim suspensivam obligationis, & valoris habeat, requiritur 1. ut apponatur in ipso contractu Sponsalia, & Matrimonij; nam si ex intervallo primū apponatur post contracta Sponsalia, vel Matrimonium, suspendere obligationem illorum non potest, cum ea jam sit antè contracta. Disparitas tamen est in Sponsalibus, & Matrimonio; nam in Sponsalibus, parte utraque consentiente, etiam ex intervallo addi potest; non verò in Matrimonio, licet pars utraque consentiret. Alex. de Nevo in c. de illis cit. n. 17. Præposit. ibid. n. 4. Sanch. D. 6. cit. n. 3. ¶ 4. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 2. Pirhing hic n. 4. Schambog. n. 2. fin. Ratio disparitatis est, quia cum Sponsalia mutuo consensu tolli possint, etiam poterit mutuo consensu obligatio illorum aboluta mutari in conditionata. Contrarium est in Matrimonio; cum enim istud semel legitimè contractum mutuo consensu amplius dissolvi nequeat, hinc sit, ut postquam semel effectum fortitum est, ne quidem communi utriusque consensu nova conditio illi apponi possit.

31 2. Requiritur, ut non sit recessum à conditione; quod duobus in casibus fieri

potest, quorum prior est, si post Sponsalia contracta sub conditione, Matrimonium contrahatur purè, & absolutè; posterior, si carnalis copula si subsecuta. Sed iste casus, ut n. 23. monui, nunc post Tridentinum in terris, ubi receptum illud est, locum non amplius habet, quippe quo cum matrimonij clandestinis etiam præsumpta sublatas sunt. Seff. 24. c. 1. de reform. Matr. Antiquo Jure per ejusmodi copulam, post Sponsalia conditionatè contracta spontè admissam, censebatur remissa conditio, ut habetur c. de illis cit. quia ad excludendum peccatum fornicationis præsumebatur copula animo conjugali facta, & conf. Matrimonium contractum absolutè.

3. Requiritur, ut talis conditio substantia Matrimonij non sit contraria; nam si ita contraria foret, Sponsalia, & Matrimonij contractum non suspenderet, sed omnino tolleret, quia, ut infra n. 17. dicetur, is, qui sub ejusmodi conditione contrahit, manifestè non vult contrahere Sponsalia, vel Matrimonium, quippe quod sine substantialibus suis non potest subsistere.

Quæritur 4. An Matrimonium, vel Sponsalia, contracta sub conditione de futuro honesta, & contingenti, eā positi, fiant valida, & obligent absque novo consensu utriusque contrahentium? Certum est. 1. opus esse novo consensu, si ante evenitum conditionis ex alterutra parte contrahentium consensus prior est revocatus, ut rectè advertit Sanch. l. 5. de Matr. D. 8. n. 1. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 2. Rosignol. de Sponsal. prænot. 5. scđ. 9. n. 5. Pirhing hic n. 23. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. §. 7. n. 2. v. posterior in fin. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 3. n. 127. quia jam prior consensus non peritit.

Similiter satis certum est 2. Non requiri novum consensum, ut Sponsalia de futuro conditionata, posita conditione, inducent obligationem absolutam. Sanch. l. cit. & alij apud ipsum. Colligitur clarè Argumento c. un. de Sponsal. in 6. ubi negatur, quod ex Sponsalibus conditionatis ante eventum conditionis nascatur impedimentum publicæ honestatis, ex defectu consensus. Igitur per Argumentum à sensu contrario post eventum conditionis nascetur impedimentum publicæ honestatis; & consimiliter hoc Impedimentum non nascatur, nisi ex Sponsalibus validis, consensu eo casu non deerit.

Controversia solùm est de Matrimonio, an posita conditione, sub qua contractum est, perficiatur sine novo consensu? Negat S. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 3. q. 3. S. Bonavent. ibid. dist. 28. q. 3. n. 13. Sot. dist. 29. cit. q. 2. art. 1. concl. 3. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. in pr. n. 15. Gutier. l. 1. qq. can. c. 22. n. 21. Henrig. l. 11. de Matr. c. 12. n. 3. Tauner. tom. 4. D. 8. q. 3. dub. 4. n. 83. ¶ 84.

¶ 84. Pont. l. 3. c. 14. n. 3. Barbos. in c. 5. b. 11. n. 7. Wagnereck ibid. not. 2. & multi alij tum TT. tum Canonistæ. Nituntur 1. textu c. super eo 5. b. tit. ubi dicitur, eum, qui Matrimonium initum cum muliere sub conditione consensus paterni, ante eventum illius ad Matrimonium contrahendum non posse cogi. Igitur hac eveniente, ad illud contrahendum cogi poterit. Atqui non contrahitur Matrimonium, nisi per consensum. Igitur cogi poterit eo casu ad ponendum novum consensum. 2. Ibidem dicitur, quod consensus, pendens ab eventu futuro, non sit habendus pro consensu de praesenti. Atqui ad Matrimonium requiritur consensus de praesenti. Ergo necessario ponendum est novus consensus. 3. Consensus ille sub conditione positus non matrimoniale, sed Sponsalitiam duntaxat obligationem inducit, quod inde constat, quia si ita contrahens ante eventum conditionis per verba de praesenti absoluta contrahat Matrimonium cum alia, hoc secundum Matrimonium valeat, ut n. 37. dicetur, quod nequaquam valit, si prior consensus valuerit in ratione Matrimonij. Atqui Sponsalia conditionata per implementum conditionis sine novo consensu non transeunt in Matrimonium. 4. Omne Matrimonium, celebratum inter Christianos, est Sacramentum; cons. debet aedes signum sensibile. Atqui eveniente conditione, non appetat signum sufficiens sensibile; si enim aliquid tale signum aedes, essent verba conditionalia, quæ tamen non sufficiunt, cum, ut dictum est, solum constituent obligationem Sponsalitiam. 5. Cetera Sacraenta nove Legis à conditione futura pendere nequeunt. Ergo nec Matrimonium: cons. statim valeat, aut non valeat, necesse est.

¶ 36 Verum his non obstantibus, dicendum, neque ad Matrimonium necessarium esse novum consensum, ut implera conditione, inducat obligationem absolutam. Ita Innoc. in c. super eo cit. Host. in c. 1. b. tit. paulo post princ. Joan. Andr. in c. 3. eod. n. 1. Navar. M. M. c. 22 n. 63. Sanch. l. 5. de Matr. D. 8. n. 5. Coniug. D. 29. de Sacram. dub. 1. n. 11. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 2. Pal. tr. 28. D. 2. p. 11. §. 2. n. 5. Boffius de Matr. c. 10. n. 70. Bosco de Matr. D. 11. sect. 8. concl. 2. Card. de Lug. de Pœnit. D. 13. sect. 5. n. 5. Fagnan. in c. super eo cit. n. 2. & seqq. Vallenf. bin. n. 2. Zel. n. 11. Pirh. n. 23. Schambog. n. 28. König n. 20. Wiestner n. 10. Reiffenstuel n. 16. Magnif. P. Schmier p. 2. de Sponsal. & Matr. o. 2. n. 75. & apud hos alij Juris Canonici Interpretates, & DD. quorum Sententiam teste Fagnan. l. cit. n. 4. in præs. observat Curia Romana, etiam post Tridentinum.

Ratio eß. Quia omnes alij Contraëctus, etiam Sponsalia, ut n. 34. dictum est, sub tali conditione celebrati, eâ impletâ, purifi-

B. P. Schmalzgrueber L. IV¹

cantur, ac perficiuntur sine novo consensu, ac si ab initio pure, & sine conditione sufficiunt initi, ut patet ex l. potior 11. ff. qui potior, in pignor. & l. hec venditio 7. ff. de contrab. empt. ergo etiam Matrimonium; quia Christus illud elevando ad dignitatem Sacramenti ejus naturam non mutavit. 2. Sic ut se habet consensus de futuro ad contractum Sponsalium, ita se habet consensus de praesenti ad contractum Matrimonij. Atqui consensus de futuro conditionalis v. g. Ducam te in uxorem. si pater tuus consenserit, adveniente conditione, purificatur, & transit in Sponsalia absoluta sine novo consensu, ut dictum est n. 34. cit. ergo etiam consensus de praesenti conditionalis, v. g. Duco te in uxoren, si pater dotem dederit, efficit Matrimonium purum, & absolutum sine alio novo consensu. 3. Consensus ille, cum in eventum conditionis relatus sit, ad hunc usque moraliter perseverat, sicut accidit in contrahente per Procuratorem. Igitur posita conditione, non minùs obligabit, quam si novus poneretur consensus.

Argumenta Adversariorum non urgunt. Ad 1. Verbum *contrahere*, ut Sanch. D. 8. cit. n. 5. notat ibi intelligendum est de Contractus perfectione, i. e. Matrimonij consummatione, ita, ut sensus sit, sic contrahentem non esse cogendum ad Matrimonium ante eventum conditionis consummandum, ut sic interrogacioni responsum concordet; interrogatum enim fuit, an talis ante eventum conditionis ad consummandum Matrimonium compellendus sit. Ad 2. Diff. Major. Consensus, pendens ab eventu futuro, non est consensus de praesenti, i. e. non est consensus absolutus, & omnino perfectus ante conditionis eventum. Conc. Non est consensus de praesenti, quasi tantum esset Sponsalitus, & obligans ad Matrimonium de futuro contrahendum. N. go. Ad 3. Matrimonium conditionale est contractus medius inter Matrimonium purum, & Sponsalia ante conditionem impletam; quia sit per verba de praesenti, in quo convenit cum Matrimonio, & differt a Sponsalibus de futuro: unde non obligat tanquam Matrimonium purum, neque etiam ut sola Sponsalia, sed ut Matrimonium conditionatum, cuius perfectio, & valor pendet ab implemento conditionis. Ad 4. Ubi conditio evenierit, ipse eventus illius est sufficiens signum purificati consensus, antea per verba, vel alia signa externa praestiti; quia & initio ita conventum est, ut quamprimum conditio evenierit mox Matrimonium esset ratum, & firmum. Ad 5. Negatur paritas cum ceteris Sacramentis; nam Matrimonium post elevationem ejus ad dignitatem Sacramenti simul retinuit naturam Contractus, juxta cujus essentiam est, ut conditionate initus, conditione impleta, perfici possit sine novo consensu.

Bb

Quæ,

Queritur 5. Quando conficiatur sacramentum à sic conditionatè contrahentibus Matrimonium? **n.** tunc primum confici, quando ponitur conditio, à cuius eventu suspensa est obligatio, & valor Matrimonij sic contraicti, ut rectè advertit Pirhing *bis n. 24.* Ratio est, quia ad Matrimonium ex institutione Christi requiritur consensus perfectus, & absolutus, isque signo externo expressus; talis autem consensus ante eventum conditionis non habetur, ergo &c. Signum autem purificati consensus, ut *n. prec. ad 4.* dixi, eo casu erit ipse eventus conditionis externus: & hoc sufficit; nam eo ipso, quod contrahentes interea voluntatem primam non revocaverint, eveniente conditione, consentire jam videbuntur absolute.

Ex quo sequitur 1. Non esse necesse, ut ipsi contrahentes sciant evenisse conditionem; quia hoc ipso, quod conditio evenit, purificatur Matrimonium, sicut eo ipso, quod Procurator contrahat Matrimonium, & consentiat nomine sui principalis, firmum est Matrimonium, etsi principalis id ignoret. Ancharen. in *c. super eo cit. n. 8.* Sanch. *l. 5. de Matr. D. 8. n. 6.* Bosco de *Matr. D. 11. scđ. 8. concl. 5. n. 148.* Pirhing *bis n. 24.* Schambog. *n. 29.* Reiffenst. *n. 20.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Sponsal. c. 2. n. 83.* qui tamen rectè advertunt, contrahentes eo casu uti non posse Matrimonio, nisi post acceptam notitiam de impleta conditione; quia constituerent se in periculo fornicationis, si forte tum conditio non esset impleta. Quod notandum non tantum in conditione de futuro, sed etiam in conditione de præterito, & de præsenti. Et hinc, quando ob gravem aliquam causam contrahitur Matrimonium sub conditione, Parochi debent contrahentes monere, ut dum ipsis constet de conditione impleta, interea à consummatione illius abstineant, ne contingat, quod contigit in casu, quem refert Fagnan. in *c. fin. b. tit.* ubi aliquis cum quadam contraxit sub conditione, *Si es legitima,* & post multiplicem copulam (ut putabat) conjugalem rescivit, non esse legitimam, ut proinde ex hoc capite Matrimonium declarandum fuerit nullum, non obstante carnali copula.

Sequitur 2. Impleta conditione, sic contrahentem compelli posse ad cohabitandum sic ductæ uxori, & consummandum Matrimonium, si pars altera istud petat. Patet ex *c. super eo cit.* per argumentum à sensu contrario; nam Pontifex ibi statuit, sic contrahentem ante conditionem eventum non posse compelli ad Matrimonium consummandum, igitur post ejus eventum compelli poterit. Accedit ratio; quia dispositio conditionalis, impleta conditione, purificatur, & ex eo tempore perficitur, perinde, ac si ab initio pure fuisse facta *l. potior 11. §. vi-*

deamus 1. ff. qui potior, in pign. atqui si pure contraxisset Matrimonium, posset compelli contrahens ad illud consummandum. Ergo &c.

Quæritur 6. Utrum nunc post Trid ad valorem Matrimonij requiratur, ut Parochus, & testes intersint impletioni conditionis, an verò sufficiat, quod interfuerint Contractui Matrimonij sub conditione ejusmodi celebrati? Conveniunt satis DD. casu, quo purificatio conditionis est aliunde notoria, aut publicè constat, pacem v.g. cuius eventui Matrimonij valor alligatus erat, conclusum esse, non opus esse, ut Parochus, & testibus hoc intimetur; quia manifesta non indigent intimatione, vel probatione. Magnif. P. Schmier *p. 2. de Sponsal. c. 2. n. 59.*

Controversia est, quando de imple-⁴² tione conditionis non constat publicè, quo casu Rebell. *l. 2. de oblig. Just. q. 10. scđ. 6. n. 44.* Conink *D. 29. de Matr. dub. l. n. 15. & 17.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 3.* Engl. *bis n. 18.* Pirhing *n. 25.* König *n. 21.* Wiestner *n. 11.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n. 96.* docent, requiri, ut Parochus, & testes intersint impletioni conditionis, vel saltem, ut contrahentes coram ijsdem postea afferant conditionem esse impletam, *Rationem* dant; quia Parochus, & testes debent posse testificari in foro externo non tantum de Matrimonio inchoato, & in futurum adhuc pendente, ac solubili, sed de absolute, ac legitimè perfecto. De hoc autem testificari non possunt, si interfuerint duntaxat contractui Matrimonij conditionali, non verò impletioni conditionis, sub qua contractum est. Ergo &c. *conf.* Quia alias non evitarentur incommoda, propter quod Trid. requiritur præsentiam Parochi, & testimoniū, cum non obstante, quod hi contractui Matrimonij conditionato adfuerint, alter conjugum negare posset adimpletam esse conditionem, & sic deveniri ad dissolutiōnem Matrimonij legitimè contracti, novasque nuptias adulterinas.

Sed eti Sententia ista sit valde probabile, non minus tamen probable est, præsentiam Parochi, & testimoniū, cum adimpletur conditio, non requiri, sed Matrimonium, prius coram Parocho, & testibus conditionatè contractum, ipsa adimpletione conditionis perfici. Ita Navar. *conf. 1. b. tit. n. 6.* Rodriq. *tom. 1. Summ. edit 2 c. 219. concl. 18. n. 19.* Sanch. *l. 5. D. 8. n. 24.* B. sco de *Matr. D. 11. scđ. 8. concl. 5. n. 156.* Boilius de *Matr. c. 10. n. 80.* Fagnan. in *c. super eo 5. b. tit. n. 5. & 6.* P. Krimer *bis n. 872.* & firmat hanc suam sententiam Fagn. *l. cit.* duplice Decreto *S. Congreg.* quorum prius approbatum fuit à S. Pio V. alterum à Clemente VIII. & resolutum, quod Concilium non requirat solemnitates Parochi, & testimoniū, quando Matrimonium, sub conditione iniunctum, pu-

rificata conditione, perfectum efficitur. Et videtur sententia hæc sequi ex illa doctrina, quā supra n. 40, cum communi dixi, quod si Matrimonium coram Parocho, & testibus contractum sit conditionatè, & conditio impleta sit, licet impletam esse ignoraverint contrahentes, fiat absolutum. Non autem sicut absolutum, si requireretur nova præsentia Parocho, & testium. Ergo &c.

Conf. 1. Quia juxta Trid. præsentia Parocho, & testium tantum requiritur eo tempore, quo Matrimonium contrahitur. Atqui Matrimonium non contrahitur, quando purificatur conditio, sed quando adjiciatur; immo & quando purificatur conditio, retrotrahitur ad tempus, quo sicut adjecta, ergo &c. **Conf. 2.** Quia præsentia Parocho, & testium neque requiritur ad constitutionem Procuratoris, neque ad exhibitionem dispensationis inter personas impeditas, esto, Matrimonium, absque mandato per Procuratorem, vel absque dispensatione inter personas impeditas contractum, valere non possit. Ergo etiam non requiritur ad implementum, aut verificationem conditionis, esto, sine hoc Matrimonium non perficiatur.

46 Neque satisfacere videtur disparitas, quam quidam dant, dum dicunt aliud esse testificari posse de actu externo in genere suo completo, aliud testificari posse de valore ipsius: in casu, quo coram Parocho, & testibus contrahitur Matrimonium per Procuratorem, vel inter personas habentes dispensationem in Impedimento dirimenter, si actus externus legitimè factus sit, præsumitur factus ab habentibus potestatem, & a personis legitimis, donec proberetur contrarium, & volenti resilire incumbit probare, constitutionem Procuratoris, vel dispensationem fuisse nullam. At quando sub conditione contrahitur, hæc non præsumitur esse impleta, donec de ea constet: conf. Parochus, & testes assistentes contractū conditionato non possunt testificari de actu externo in genere suo completo, quod ex mente Trid. videtur necessarium esse.

47 Contra enim est 1. Quia responsio hæc videtur ad summum tunc habere locum, quando non constat de impedimento, & rationabile dubium non occurrit, quod Procurator, qui nomine alterius vult contrahere, sufficienti mandato careat; nam si de impedimento constet, vel rationaliter de mandato dubitetur, nec dispensatio, nec mandatum præsumitur, sed utrumque is, qui id assent se habere, probare debet. Igitur saltem in isto casu disparitas nulla erit. 2. Mandatum in Matrimonio contracto per Procuratorem, & dispensatio in contracto inter personas impeditas constituant conditionem imbibitam Contractui Matrimoniali, sine qua ipse contraactus tam parum est perfectus, quam parum perfectus est, si fiat sub

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

conditione extrinseca contingente. 3. Ideo præsentia Parochi, & testium non requiritur ad constitutionem Procuratoris, vel ad exhibitionem dispensationis, quia sine hac jam testari possunt de actu externo, & resilire volens prohiberi à contractu ineundo cum persona alia, atqui idem fit, quando Parochus, & testes interfuerunt contractū conditionali, licet non adferint impletioni conditionis; quia cùm constet Ecclesiæ de Matrimonio inito per verba de præsenti, quamvis valor pendeat ex verificatione conditionis, nullo modo permitte eos ad alias transire nuptias, donec plenè discutiat, an impleta fuerit conditio, necne.

Ad Argumentum in contrarium n. 43. 48 allatum dico, non esse necessarium, ut Parochus, & testes assistant Matrimonio omnino perfecto, & ut de ejus perfectione testificari possint; alias enim, quando duo pueri contrahunt, qui dicunt se esse puberes, tamdiu penderet valor Matrimonij, quandum Parocho, & testibus non constat de sufficiencia ætatis ad pubertatem. Sequelam, ut puto, nemo admittet, cùm juxta omnes, si ætatem Jure requisitam habeant, licet Parocho, & testibus de hac non constet, statim Matrimonium valeat; invalidum autem sit statim, quando vel eam ætatem non habent, vel malitia ætatem non prævenit. **ad conf.** ut constat ex dictis n. præc. hoc inconveniens jam vitatur; quia cùm jam constet Ecclesiæ de aliquali Matrimonio, non permittet secundum, ante plenam primi discussionem.

Quæritur 7. Quando Conditio hæc. **Contraham tecum, aut contrabo, si patri placuerit**, adjecta Sponsalibus, vel Matrimonio, censeatur impleta, ut ex tunc obligent Sponsalia, vel Matrimonium? **n.** hic distinguendum esse, an conditio hæc sit de præfenti, vel de præterito, an vero de futuro.

Si de præsenti, vel de præterito est, juxta dicta n. 19, statim validum est Matrimonium, quando id patri placet, vel placuit; invalidum autem, si non placet, vel placuit. **Sanch. l. 5. de Matr. D. 7. n. 2.** **¶ 5.** cum alijs à se cit. Et quidem, si Sponsalia, vel Matrimonium inita sint sub conditione de præsenti, de præsenti adesse debet beneplacitum Patris: si de præterito, beneplacitum Patris antea habitum non debet esse revocatum; stari enim ultimæ voluntati debet, cùm posterior voluntas deroget priori. **Sanch. n. 5.** **¶ 6.** **Procedit autem hoc 1.** quamvis contrahentes ignorant assensum Patris; quia vere tunc verificatur conditio. **Sot. in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. ¶ 1.** ergo. **Cordub. Summ. q. 46.** Lud. Lopez p. 2 in stud. de Matrim. c. 42. fol. 1081. **Sanch. l. cit. n. 2.** **Procedit 2.** quamvis contrahentes crederent parentibus Matrimonium displicere, si verum habeant animum contrahendi casu, quo parentibus placeat; quia nil deficit ad consen-

B b 2

sensum, & cætera requisita ad Matrimonij valorem. *Sotus, Lopez, Sanchez l. cit. Procedit* q. Etsi pater, ad cuius beneplacitum tunc conditionatè contrahitur Matrimonium, tempore, quo illud contrahitur, dormiat, si de eo antea cogitavit, & illud eidem placuit; quia nisi voluntatem antea habitam revocet, habitualiter in ea perseverare censetur. *Sanch. n. 4.*

50 *Si vero sub conditione beneplaciti paterni de futuro contrahatur Matrimonium, vel Sponsalia, obligatio, & valor illorum suspenditur ad conditionis eventum secundum dicta n. 29.* Sufficit autem, si Pater sciens, quid agatur, taceat, & non contradicat; quia hoc tendit ea conditio, ne contrahat filius, aut filia Matrimonium, id è grè ferente Patre; jam autem non è grè ferre censetur Pater, quando sciens non contradicit. *Ancharan, in c. 6. b. tit. n. 2. Alex. de Nevo in c. 5. eod. n. 26. Sylv. V. Matrimonium 3. q. 4. dict. 4. Rosell. V. eod. 5. n. 5.* Veracrus p. 1. specul. art. 19. §. quidquid dicat. *Lud. Lopez p. 2. Infruct. de Matr. c. 52. §. at vero. Sanch. l. cit. n. 12. contra Angel. V. Matrimonium 3. imped. 3. n. 3. Navar. Man. c. 22. n. 63. Peir. de Ledeim. de Matr. q. 74. art. 5. dub. 7. princip. §. sed quid dicendum, §. sed adhuc.*

Neque obstat Reg. is qui tacet 44. in 6. ibi, qui tacet, non fatusur; sed nec utique negare videtur; quamvis enim ex taciturnitate Patri fortè non posuit præsummi consensus positivus, præsumitur tamen consensus negativus, seu quid Pater non dissentiat, quem sensum habere dixi Conditionem, si Patri placuerit.

51 *Dubium est, an impleta censeatur conditio beneplaciti paterni de futuro adjecta, si Pater primò dissentiat, deinde consentiat?* Affirmant Alex. de Nevo in c. 5. b. tit. fin. Sylv. V. Matrimonium 3. q. 4. dict. 3. Navar. Man. c. 22. n. 63. Lud. Lopez l. cit. c. 42. §. præterea: ex duplicitate fundamento. 1. Quia conditio hac tractum successivum habet, ut scilicet verificari debeat, dum contrahentes persistunt in ea voluntate, ergo sufficit, ut verificetur, dum non revocatur prior consensus à contrahentibus, licet pater primò dissentiat. 2. Si Procurator constitutus renuit acceptare mandatum, potest adhuc acceptare, quamdiu constituens adhuc perseverat in prima sua voluntate, licet 7. de Procur. in 6. ergo etiam sufficiet quandocunque ponit consensus paternum, modo contrahentes interea consensum suum non revocarint.

52 Sed dicendum, quamvis postea consentiat Pater, si primò dissentit, non fieri Matrimonium, vel Sponsalia absoluta, nisi contrahentes denuo se se obligent. Ita Angel. V. Matrimonium 3. imped. 3. n. 2. Rosell. V. eod. 5. n. 4. *Sot. in 4. dict. 29. q. 2. art. 3. v. rogis autem. Sanch. D. 7. cit. n. 9. arg. 1. hac conditio 29. ff. de condit. §. de-*

monstr. ubi Julianus, *Hæc conditio, inquit. Si in Capitolium ascenderit, sic recipienda est, si, cum primùm potuerit Capitolium descendere. Ergo hæc conditio, Si pater consenserit, de primo consensu accipienda est. Conf. quia eo ipso, quid Pater dissentiat, defecit conditio; potuit enim tunc alterius contrahens, altero invito, resilire: quod utique non posset, nisi conditio defecisset. ergo obligatio illa extincta est, at obligatio semel extincta non reviviscit l. cùm ex causa 9. C. de remiss. pign. ergo &c.*

Neque obstant Argumenta oppositorum, **52** *Ad 1. Ea conditio tractum successivum habet ad hunc sensum, ut possit Pater non statim consentire, sed terminum ad deliberandum petere; non tamen ad hunc sensum, ut si semel dissenserit, profit, si postmodum consentiat, cùm contrarium patet ex Conf. n. prec. Ad 2. ut Gloss. in c. cit. V. placebit, & Sanch. n. 10. cum alijs explicant, Procurator eo casu Procurator esse non definit ex quadam æquitate, vel si definiri, Jure reæsumit, ne ob Procuratoris defectum negotia differantur, at in nostro casu id non disponit Jus, nec disponere potuit, cùm deficiente conditione, consensus defecit.*

Quaritur 3. *Siquis Sponsalia, vel successivum Matrimonium sub conditione in futurum pendente contrahat cum duabus quænam Sponsalia, vel quod Matrimonium ex illis sit validum, & observandum?* *De Sponsaliis* non videntur magna esse difficultas; dicendum enim, quid præferenda sint priora Sponsalia, sive deinde apposita ipsius conditio impletur ante, sive post impletam conditionem, quæ Sponsalibus posterioribus adiecta est. Ita Conink D. 29. de Sacram. dub. 1. n. 20. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 6. Pont. l. 3. de Matr. c. 13. n. 1. Rosignol. de Sponsal. prænot. 5. sed. 9. n. 20. § seq. Sporer de Matr. n. 182. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. §. 6. n. 15. §. 16. Zœf. hic n. 15. Pirching n. 28. Schambog. n. 36. Wiesner n. 13. M. gnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 3. n. 124. Ratio est, quia talis nec licet, nec validè secunda Sponsalia inire potuit, nisi priora fuerint dissoluta juxta Regul. 21. in 6. ibi, *Quod semel placuit, amplius disperdere non potest.* *Conf.* quia priora Sponsalia jam induxerunt obligationem expectandi conditionis eventum, hanc obligationem tollere non possunt secunda Sponsalia; alias solo unius contrahentis consensu dissolvi illa possent. Igitur etiam post secunda Sponsalia, & impletam conditionem ijs adiectam, manet obligatio expeditandi eventum conditionis, quæ primis adiecta est: non autem maneret hæc obligatio, si secunda essent valida; quia impletia conditione fierent absoluta. Igitur valida illa non sunt, & cons. præferenda prima, etiæ conditio ijs adiecta postea pri-

mùs

mum impleatur, cum impleta jam est conditio adiecta secundis Sponsalibus. Aliud est, si conditio prioribus adiecta penitus deficiat; tunc enim incipiunt prævalere posteriores, utpote quæ nulla duntaxat erant, supposito valore priorum P. Schmier e. cit. n. 126.

11 Major difficultas est de Matrimonio, cum duabus sub conditione in futurum pendente contracto: in qua DD. in diversas abeunt sentencias. Nam aliqui cum Tabien. V. Matrimonium 2. q. 11. n. 12. volunt prævalere prius Matrimonium; quia potior est hujus conditio, nec posterius ipsi præjudicare potuit juxta Reg. qui prior 54. in 6. Confirman; quia Matrimonium initum sub conditione de futuro ex communi sententia TT. teste Sanchez D. 8. n. 17. habet vim Sponsalium. Alij contrà apud Sanch. D. cit. n. 12. dicunt prævalere secundum, quod priori per contractum posteriorem sit derogatum l. fin. ff. de divorcio. Tertiò nonnulli cum Propri. in c. i. b. tit. n. 2. in 3. Opin. centent hoc casu locum esse optionis.

16 Sed melius distinguitur: Vel enim conditio, dupli tali Matrimonio adiecta, impletur simul, vel successivè. Si primum, neutrum est validum, ut recte Sanch. l. cit. n. 15. Conink n. 20. Laym. n. 7. Zœf. n. 25. Pirhing n. 28. Schambog. n. 37. Wieschner n. 15. Ratio est, quia incertudo viat Matrimonium c. ex litteris 10. de sponsal. atque utrumque Matrimonium tali causa esset incertum; cum enim consensus referatur in tempus impletæ conditionis, perinde est, ac si simul, & eodem tempore contraheretur Matrimonium cum duabus, cons. non est ratio, cur magis censeatur consentire in unam, quam in alteram.

17 Si secundaria contingat, ex duobus Matrimonij conditionate initis prævalebit id, cui adiecta conditio prius impleta est. Ita Conink l. cit. n. 20. Laym. n. 7. Barbos. in c. 5. b. tit. n. 4. Gonzal. in c. 1. eod. n. 2. Boico D. 11. sest. 8. concl. 3. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. §. 6. n. 16. Zœf. n. 14. Pirhing n. 28. Schambog. n. 37. Wieschner n. 14.

Ratio est, quia si post Sponsalia, vel Matrimonium conditionate contractum cum una, Matrimonium per verba de præsenti absolutè contraheretur cum alia, absque dubio prævaleret Matrimonium absolutè contractum, licet ita contrahens peccaret mortaliter, atqui Matrimonium conditionatum impleta conditione non minus fit absolum, quam quod contractum est absolum. Igitur etiam istud prævalere debet adversus Matrimonium etiam prius contractum, si illud per impletionem conditionis nondum factum est absolutum.

Neque urgent Argumenta oppositorum Opinionum. **Ad 1.** Sententia Argumentum id verum est, si contractus prior sit absolutè initus: secus, si conditionate; nam tunc potior Jure est, cum qua contractus factus est absolutus. **Ad Conf.** Matrimonium, sub conditione in futurum pendente initum, in hoc solùm vim Sponsalium habet, quod ante eventum conditionis Sponsalium instar ipsum quoque absolutum, & perfectum non sit: in alijs à Sponsalibus differt, præsertim in hoc, quod ipsum, purificata conditione, secundum dicta n. 36. fine novo consensu absolutum, perfectumque fiat, & contrahentes jungat vinculo indissolubili, quali vinculo non conjunguntur, qui inierunt Sponsalia de futuro etiam absoluta. **Ad Argumentum Sententie secundæ** eadem est responso; nam posterior Contractus priori derogat, quando ille est absolutus, secus, quando est conditionatus.

Interim tamen manet, quod Conink D. 29. de Sacram. n. 17. Tamburin. tr. 4. de Matr. c. 5. §. 10. Gobat. tr. 10. n. 451. & tr. 9. n. 138. Schambog. b. 2. n. 31. Wieschner n. 16. monent, ejusmodi Matrimonia sub conditione in futurum pendente inita, licet à SS. Canonibus non improbentur, à Parochi tamen, non nisi gravi urgente causa, permitti debere; tum quia minus decent dignitatem Sacramenti, tum quia varijs incommode obnoxia sunt: & ideo hodie ferè inusitata sunt.

§ III.

De Desponsatione sub Conditione Impossibili.

S U M M A R I U M.

60. *Condition impossibilis non obest Matrimonio.*
 61. *sed per Ecclesiam habetur pro non adjecta c. fin. h. tit.*
 62. *Nisi contrahentes ignoraverint eam esse impossibilem.*
 63. *Vel ne siverint sic constitutum ab Ecclesia.*
 64. *Aus aliunde possit colligi, quod serio illam adjicerint.*
 65. *Solvuntur Objectiones.*
 66. *An Papa c. fin. cit. considerit Ius nullum?*
 67. *Tenetur pars affirmans.*
 68. *Diluuntur Argumenta opposita.*
69. 70 71. *Quenam Conditiones impossibilis habeantur pro non adiectis?*
 72. 73. 74. *An etiam Conditiones impossibilis de presenti, & preterito?*
 75. 76. 77. *An Condicio impossibilis pro non adiecta habeatur etiam in Sponsalibus?*
 78. *Sc. Quid dicendum de Sponsalibus, contractis inter personas impeditas, sub conditione. Si Pontifex dispensaverit?*
 79. *An valida sit promissio Matrimonij inter impeditos contrabere, si conditio ista in contractu non exprimatur?*
 80. *Respondetur non valere.*
 81. *Rationes dubitandi solvuntur.*

Conditionem Impossibilem n. 5. tripli-
cem divisi, dum eam divisi in Impos-
sibilem ex natura rei, cui natura est impedi-
mento, quo minus existat; Impossibilem de
facto, cum quid Jure, & natura fieri potest,
sed propter difficultatem impossibile judica-
tur; & Impossibilem de Jure, quando pro
Conditione ponitur res Jure prohibita. De
hac tertia ex instituto agetur §. seq.

Quaritur 1. An valori Matrimonij ob-
sist Condicio impossibilis ipsi adiecta, e. g. *Si*
*digito celum tetigeris, si è celo Lunam detra-
ceris, si mare ebiberis &c.* *¶* Non obesse;
sed favore Matrimonij habetur pro non ad-
iecta, ac proinde sic contractum perinde
est, acsi contractum esset pure, & absolu-
te, ut decisum est à Gregorio IX. c. fin. ¶.
lacet b. tit.

Difficultas 2. quomodo Ecclesia
eiusmodi conditions habere potuerit pro
non adiectis, & absolute approbare Matri-
monia, sub tali conditione inita? *Rationes*
dubitandi sunt gravissime. *¶* Quia Matri-
monium perficit consensu ipsorum con-
trahentium, sed qui sub conditione impos-
sibili contrahit, non consentit, in modo dissentit,
dum consensum refert in eventum conditio-
nis, quae nunquam impleri potest: & hinc
quando perita negare volumus, dicere so-
lemus, *Dabo tibi, si digito celum tetigeris.* *2.*
Matrimonium sequitur naturam ceterorum
Contractuum, atqui Contractus ceteri vi-
tiantur, adiecta conditione impossibili §. *si*
impossibilis 1. Inf. de inutil. stipul. & l. non so-
lum 31. ff. de O. & A. ibi, quia in ea re, que ex
duorum pluriūne consensu agitur, omnium
voluntas spectatur, quorum procul dubio in bu-
jusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi exi-
stiment apposita ea conditione, quam sciant esse
impossibilem. *3.* Ante Decretum c. fin. cit.
Matrimonium sub conditione impossibili con-
tractum erat nullum; quia sequebatur natu-

ram ceterorum Contractuum. ergo etiam
modò nullum est; nec enim Ecclesia facere
de non Matrimonio Matrimonium potest.
4. dum rejiciuntur dictæ conditions, id
fieret favore Matrimonij, ut insinuat textus,
atqui non appareat, in quo favor iste veretur,
cum potius Matrimonij favor sit, ut sit val-
de spontaneum; quia id indissolubilitati ejus,
& fini valde expediens sit. *5.* Ad Matrimo-
nialem Contractum non sufficiens consensus
merè internus, sed requiritur, ut verbis, vel
alijs signis externis expressus sit. atqui con-
sensus iste deficit in eo, qui contrahit sub
conditione impossibili; quia verba, quibus
sic contrahit, ut paulò antea dictum est,
potius ex natura sua diffusum significant.
igitur cum Ecclesia supplere consensus de-
fectum nequeat, dicendum, quod invalidum
sit Matrimonium sub tali conditione contra-
ctum.

Hę Rationes ita dubiam c. cit. deci-
sionem fecerunt Durando, ut in 3. dis. 39.
q. 4. n. 9. fateatur, se minimè percipere,
unde Ecclesia in eo Matrimonio presumat
consensum, & ideo hoc doctioribus judi-
candum relinquat: alij vero mirum in mo-
dum pro explicatione textus istius se tor-
quent, quorum sex omnino interpretationes
diversas Sanch. l. 5. de Matr. D. 3. n. 2. &
seqq. refert, & rejicit, *sed bis omisssis,*
communis explicatio DD. est, ideo ab Ec-
clesia Matrimonium tale haberi pro valido,
quia eiusmodi conditio favore Matrimonij
potius joco, quam animo serio dissentienti-
di, vel actum irritandi adiecta presumitur:
idque meritò; nam Matrimonium non mi-
nus favorable est, quam ultima Volunta-
tes. atqui istas conditio impossibilis adiecta
non vitia. *§. impossibilis 10. Inf. de Hered. in-*
stit. l. obtinut 3. & l. multa 6. §. si servos 1.
ff. de condit. & demonstr. idque favore testa-
toris, cuius interest ultimam suam Volun-
tatem

tatem adimpleri; imò ipsius Reipublicæ, cum publicè expedit, suprema hominum iudicia exitum habere l. vel negare s. ff. quemadmodum testam. aper. ergo &c.

62 *Excipitur tamen 1.* Si uterque, vel saltem alteruter contrahentium conditionem à se adjectam Matrimonio ignoravit esse impossibilem; hoc enim casu effectum sorgetur, & Matrimonium sub illa contractum in utroque foro pro irrito habendum est, ut notat Covar. p. 2. de sponsal. c. 3. §. 2. n. 5. Henrig. l. 11. de Matr. c. 12. n. 5. in Comment. lit. C. Sanch. D. 3. cit. n. 8. Conink D. 29. n. 41. Pal. tr. 28. D. 2. p. 11. §. 3. n. 1. Barbos. ad Rubr. b. tit. n. 4. & in c. fin. n. 12. Gonzal. ibid. n. 8. Pirhing bic n. 17. Wiestner ibid. n. 18. Magnif. P. Schmier p. 2. de Sponsal. & Matr. c. 2. n. 103. Ratio est, quia tunc præsumi non potest, quod joco adjecta sit talis conditio, sed potius censeri debet illi alligatus fuisse consensus. Conf. à pari cum ultimis Voluntatibus; nam etiam ista per conditionem impossibilem sibi adjectam à testatore, ignorantie impossibilem eam esse, vitiantur, & nullæ sunt l. servos 58. ff. de condit. indebit. Gloss. ibid. Bartol. in l. 1. n. 5. ff. eod. Proceditque hoc saltem pro foro interno, siue prudenter, siue imprudenter contrahentes reputent conditionem impossibilem à se adjectam esse possibilem; quia consensus deficit: cum enim crederent posse evenire conditionem, non videntur consentire, nisi in illius eventum. Sanch. l. cit. n. 10. Addidi saltem pro foro interno; nam in foro externo Ecclesia non præsumet, quod contrahentes reputaverint conditionem esse possibilem, quando id absque omni prudenter esset.

63 *Excipitur 2.* Si contrahentes ignoraverint Constitutionem c. fin. cit. quia Constitutio non obligat ignorantes c. fin. de Confit. in 6. Et hinc, ut conditio impossibilis habeatur pro non adjecta in Matrimonio, necesse est, ut contrahentium uterque sciverit, ejusmodi Conditiones à Jure rejici, & pro non adiectis haberi; nam qui cum tali scientia contrahunt sub conditione impossibili, consentur secundum Jus velle contrahere: secus, qui ignorant; nam de his potius est præsumendum contrarium, cum conditio impossibilis ex se importet dissensum. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 2. n. 1. Carrer. l. 3. de Sponsal. c. 5. Sanch. l. cit. n. 11. Palao n. 1. cit. Magnif. P. Schmier n. 105. contra Pont. l. 3. c. 4. n. 8. *Neque obess,* quod juxta Reg. 13. in 6. ignorantia sola facti, non Juris excusat, si hoc notorium sit, sicut notoria est Constitution c. fin. cit. nam Regula hæc solùm procedit in ijs, in quibus defectum consensū supplere Jus potest; hoc autem non potest in Matrimonio. conf. si revera contrahentes, vel unus illorum ignoraverit cit. Constitutionem, in

foro saltem conscientia Matrimonium, sub tali conditione contractum, revera invalidum erit, & pro tali etiam habebitur in foro externo, si probari ignorantia Juris istius possit ab allegante. Et hinc Sanch. l. cit. n. 14. infert, quod moraliter loquendo, raro, aut ferè nunquam eveniat casus, in quo judicandum sit, etiam in foro exteriori valere Matrimonium, sub conditione impossibili celebratum; quia Pontificis Constitutio judicari non debet nota foemina contrahenti.

64 *Excipitur 3.* Si ex varijs circumstan- tias, praesertim qualitate, affectu, & interesse contrahentium colligi possit, quod serio, & impossibilitatis conscientia conditionem talem adjecterint, eo animo, ut indicarent, quod nullo modo obligare se velint, ut si Nobilis dicat puellæ pauperi, *Contrabo tecum, si montem aureum in Dotem dederis;* nam tali casu Matrimonium, sub ejusmodi conditione contractum, vitabitur. Ita Adrian. tr. 4. q. 3. de Matr. dub. 7. Sot. ibid. dist. 29. q. 2. art. 2. &c. ad propositum. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 2. n. 5. Henrig. l. 11. de Matr. c. 12. n. 5. Sanch. l. cit. n. 16. Conink n. 41. Palao n. 1. Perez D. 16. de Matr. sed. 3. n. 5. Barbos. in Rub. b. tit. n. 4. Canis. ibid. n. 7. Zœf. b. n. 2. Engl. n. 13. Pirhing n. 18. Schambog. n. 11. Wiestner n. 19. Reiffenstuel n. 44. Magnif. P. Schmier l. cit. n. 104. Ratio est, quia hoc ipso, quod se non nisi in eventum necessariò non futurum obligaverint, patet, eos se obligare omnino non voluisse. Quare Conditio impossibilis tunc solùm pro non adjecta habebitur, quando dubium est, an contrahentes illam serio, an joco adjecterint; cum enim in dubio juxta c. fin. de sent. & re judic. & c. directæ 39. in fin. de Apellant. semper pronuntiandum sit pro Matrimonio, merito in tali dubio in favorem Matrimonij præsumit Ecclesia, conditionem ejusmodi esse joco adjectam: & quidem, ut dixi, merito, ne forte separantur, qui legitime conjuncti sunt, & alijs conjugantur per Matrimonium illegitimum. Est autem præsumptio hæc Juris tantum, cum adductis in contrarium rationibus elidi possit. P. Schmier l. cit. n. 103.

Ex quo patet ad Argumenta opposita 65 in contrarium. *Ad 1.* Sicut Ecclesia tali casu præsumit pro Matrimonio, ita præsumit non deesse consensum, cum præsumat conditionem illam tantum esse joco adjectam. *Ad 2.* Id speciale est in Matrimonio ob favorem illius, & ad vitanda damna, ac pericula animalium gravissima, quæ ex Matrimonij validè contracti dissolutione sequentur. *Ad 3.* Negatur Cor. sicut negari debet, si quis ex eo, quod Matrimonium clandestinum ante Trid. nullum non fuerit, vellet inferre illud defacto validum esse. Quare distinguendum est inter Matrimonia ante Constitutionem c. fin. cit. contracta, & inter ea, quæ post eam Constitutionem con-

trahuntur: priora invalida manserunt etiam post dictam Constitutionem; quia Matrimonium semel validum amplius invalidari nequit, aut vicissim invalidum validari, sine novo consensu. Posteriora ex presumptio-
ne Ecclesiae pro validis habentur; quia ad-
jectio conditionis impossibilis modis indicat
consensum, quæ prius indicabat dissensum.
Ad 4. Favor Matrimonij, ut *n. prec. fin.* innui,
in hoc consistit, ne cum animalium periculo
Matrimonium, quod fortè validè contra-
Etum est, illegitimè dissolvatur, & via ape-
riatur ad Matrimonium aliud illegitimum:
neque hic favor adversatur libertati, ac spon-
taneo consensu ad Matrimonium requisito;
quia, ut dictum est, Constitutio *c. fin. cit.*
solum procedit, quando presumi potest
consensus in sic contrahentibus. *Ad 5.*
Condicio impossibilis dissensum significat,
quando non merito presumitur esse solum
joco adiecta: proinde dum sub conditione
impossibili contrahitur Matrimonium, ipsa
verba, quibus ita contrahitur, supposita
Constitutione *cit.* ejusque notitia, sunt suf-
ficiens expressio consensus absoluti.

Quæritur 2. An *c. fin. cit.* à Papa
conditum sit novum Jus, vel declaretur so-
lum Jus aliquod anterius, & naturale?
Hoc secundum affirmant Pont. *l. 3. de Ma-
trim. c. 4. n. 10.* & Rebell. *l. 3. de oblig.
Jus. q. 10. sct. 4. n. 27.* idque ex duplice
ratione. *1.* Quia Papa *c. cit.* non decer-
nit, & statuit, ut conditiones impossibilis
pro non adiectis impostorum habeantur, sed
solum dicit eas debere haberi pro non adiectis:
quod indicat Jus aliquod anterius; aliud autem esse non potest, nisi naturale,
ergo &c. *2.* Quia si Matrimonium, sub
tali conditione contractum, seclusa Con-
stitutione *c. fin. cit.* esset invalidum, Papaæ
valorem eidem conferre non potuisse;
fuisse enim invalidum ex defectu consensus
alligati hujusmodi conditioni; atqui consen-
sus defectum supplere in Matrimonio etiam
Papa non potest: ex quo proinde conse-
quitur, eum, qui sub conditione ejusmo-
di contraxit Matrimonium, & probare non
potest serio à se illam adiectam esse, uten-
do Matrimonio in continua fornicatione vi-
vere.

Verum his non obstantibus, verius
est, c. fin. cit. favore Matrimonij conditum
esse Jus novum. Ita Sanch. *l. 5. de Matr. D.*
g. n. 19. Hurtad. *D. 7. de Matr. n. 41.* Conink
D. 29. de Sacram. n. 42. Perez *D. 16. sct. 3. n.*
9. Haun. *tom. 3. de J. & J. tr. 8. n. 284.*
Wiestner *bic. n. 22.* Ratio est, quia
Matrimonium, contractum sub conditione
impossibili, spectatà præcisè istius naturæ,
foret nullum; quia, ut saepe dictum est, &
probat paritas cum alijs Contractibus, ad-
jectio conditionis impossibilis potius dis-
sensum, quam consensum significat. Ergo
quod pro valido habeatur, ejusque valori

conditio impossibilis non officiat, non ex
Jure naturali, sed ex positivo habetur, quo
Pontifex interpretatur mentem contrahen-
tium, & statuit, eam conditionem potius
presumendam esse adiectam joco.

Argumenta in contrarium speciola
magis sunt, quam efficacia. *Ad 1.* Ver-
ba propter ejus favorem, in *c. cit.* adiecta,
sunt indicant, quod Pontifex de Matrimo-
nio novum Jus constituere, & conditiones
impossibilis favore solius Matrimonij, non
propter ipsam naturam Contractus pro non
adiectis haberi voluerit. *Ad 2.* Ecclesia
rejeciendo, & pro non adiectis habendo
conditiones impossibilis, non supplet defec-
tum consensus, sed eum presumit absolu-
te fuisse præstatum, cum non sit credibile,
contrahentem in re adeo gravi, & sancta,
quale est Matrimonium, nugari, & irritum
facere Matrimonium velle. Periculum ani-
mae, quod pateretur is, qui ejusmodi con-
ditionem serio adjectit Matrimonio, & ta-
men cohabitare uxori ita dueta per Judicis
sententiam obligatur, vitatus facile, si con-
ditione rejecta, verè, & absolute consen-
tit: ad quod etiam tenetur, cum vix aliter
præjudicium, per ejusmodi Contractum
illatum, alteri parti compensare valeat.

Quæritur 3. Quales Conditiones
rejecuntur à Matrimonio, & pro non adiectis
haberi debeant: *1.* Hic refutandam distinc-
tionem Conditionis impossibilis in eam, quæ
ex natura rei impossibilis est, & in eam, quæ
defacto solum est impossibilis, quam dedi-
n. 5. Quod conditiones, quæ ex natura
rei impossibilis sunt, pro adiectis haberi de-
beant, nullum est dubium.

Quoad Conditiones defacto solum
impossibilis diversæ sunt opiniones DD.
Quidam volunt has conditiones vitiare Ma-
trimonium: quam sententiam etiam videtur
tenere Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 2. n.*
9. Fundantur dupli argumento. *1.*
Quia Jus Canonicum, dum rejicit condi-
tiones impossibilis à Matrimonio, voluit illi
favere, sicut Jus Civile ultimæ Voluntati,
dum ab ea rejicit conditions impossibilis.
Atqui Jus Civile ab ultima Voluntate non
rejicit conditions, quæ defacto solum sunt
impossibilis, sed haec eadem vitant, ut pol-
Glossam, Bartholom., & Imolam docent Co-
var. *l. cit.* & Molin. *de primogen. l. 2. c. 12.*
n. 37. ergo neque Jus Canonicum hujusmo-
di conditions rejicit à Matrimonio, sed
illæ adiectæ hoc vitiabunt. *2. c. fin. cit.* so-
lum rejicuntur conditions impossibilis à
Matrimonio. At impossibilis defacto non
dicuntur impossibilis, sed difficiles *l. conti-*
nus 137. §. illud 4. ff de V. O. ergo &c.

Contrà has etiam Conditiones pro
non adiectis habendas contendunt Glossi
c. fin. cit. V. contra. Host. *Summ. b. tit. n.*
12. *¶. aut est honesta,* Palacios *l. 5. de*
Contract. c. fin. dub. 7. Lud. Lop. *p. 2. in-*
fructu

fruct. nov. de Matr. c. 43. fol. 1049. Barth. à Ledesma. *de Matr. dub. 25. concl. 2.* qui tamen distinguit, & ait in foro externo eas rejicit: at in foro interno suspendere valorem Matrimonij, donec impleantur. *Nituntur & ipsi argumento duplicit.* 1. Quia hujusmodi conditiones similiter rejiciuntur ab ultimis voluntatibus, ut post Gregorium, Lopez, & Acostam probat Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 206. fol. 1259.* 2. Quia tam impossibile videtur pauperi dare centum millia aureorum, ac digito cœlum tangere; & tam irrisiorum videtur illud, ac hoc petere.

Melius in hac re distinguit Barbos. *ad 7¹ Rubr. b. tit. n. 6.* nam si ita difficultis conditio sit, ut considerata qualitate personæ, cui injungitur, æquè pateat manifestè, non posse per eam aliquo modo conditio nem adjectam præstari, etiam ex amicorum auxilio, conditio talis habebitur pro non adjecta: quod probant Argumenta secundæ Sententie. Sin autem difficultas talis est, quam persona, cui injungitur, per amicos, per fidem, arque exsuffimatione suam adimplere posset, ut *Contrabo tecum, si mille in datem dederis,* hæc conditio adjecta non continuò ponit Matrimonium ex mente contrahentium, sed differt, cum non sit tam impossibilis, quam difficultis; difficultas autem non liberat *l. continuo cit.*

Quæritur 4. An ex Matrimonio rejiciuntur etiam conditiones impossibilis de præterito, & præsenti? *Sylv. V. Matrimonium 3. q. 1. fin.* Petr. de Ledesma. *de Matr. q. 47. art. 5. dub. 1. S. hoc positio fundamento.* Rebell. *l. 2. de oblig. Just. q. 10. sect. 4. fin.* Pont. *l. 4. de Matr. c. 4. n. 12.* Palao *tr. 28. D. 2. p. 11. §. 3. n. 5.* Zecf. *bic n. 1.* existimat dispositionem *c. fin. cit.* restringi solum ad conditiones impossibilis de futuro appositas Matrimonio. 1. Quia Legum, & Canonum verba sunt propriè accipienda *c. inter 2. ¶. sed neque de translat. Episcop.* & *l. non alter 69. junct. Gloss. V. à significacione ff. de Legat.* 3. atqui nomen Conditionis propriè solum competit Conditionibus de futuro, ut dictum est *suprà n. 9.* ergo &c. 2. In *cit. c.* simul, & eodem modo rejiciuntur, & pro non adjectis habentur conditiones turpes, & impossibilis. Atqui conditiones turpes, prout dicetur *infra n. 97.* rejiciuntur duntaxat, si in futurum pendeant, non vero, si sint de præterito, & præsenti. Ergo idem dicendum de conditionibus impossibilibus. 3. Conditiones turpes, si sint de præsenti, vel de præterito, ideo non rejiciuntur à Matrimonio, quia non sunt propriè, & strictè conditions, cum actum non suspendant. Atqui idem argumentum pugnat etiam pro conditionibus impossibilibus de præterito, vel præsenti. Ergo &c.

Sed melius Durand. in 4. disf. 28. q. 2. n. 5. Paludan. *ibid. disf. 29. q. 2. art. 5.* *concl. 7. ¶. respondeo in foro Judicij.* Sot. *ibid. q. 2. art. 2. ¶. mens ergo Pontificis.* Philiac. *de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. c. 1. §. tres conditiones.* Barth. à Ledesma *dub. 25. de Matr. concl. 7.* Bolco *p. 5. de Matr. D. 21. sect. 8. à n. 372.* Rosignol. *de Sponsal. prenot. 5. sect. 9. q. 34.* & hanc sententiam tantâ concordiâ à DD. teneri testatur R.P. Schmalzgrueber *L. IV.*

28. Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 2. n. 2.* Carer. *de sponsal. l. 4. c. 5.* Barth. à Ledesma. *de Matr. dub. 25. concl. 7.* Sanch. *l. 5. de Matr. D. 4. n. 3.* Perez *scit. 3. n. 2.* Wiesner *bic n. 28.* Reiffenstuel *ibid. n. 46.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Matr. c. 2. n. 107.* docent, dispositionem *c. fin. cit.* intelligendam de Conditionibus impossibilibus omnibus indiscriminatim. Ratio est, quia *c. cit.* Pontifex conditions impossibilis rejicit, non quod ad aliquid impossibile obligent, sed quia omnino impossibilis sunt; tales autem sunt, sive sint de futuro, sive de præsenti, sive de præterito. Ergo omnes indiscriminatim rejectæ intelliguntur. *Conf.* Quia non minor est favor Matrimonij, quam ultimæ Voluntatis. Atqui in ultima Voluntate pro non adjecta habetur non tantum conditio impossibilis de futuro, sed etiam de præterito, vel præsenti, ut patet ex *l. si Mevia 45. ff. de Hered. insit.* ubi casu quo testator filiam nunquam habuit, à Testamento rejicitur conditio, *si filia mea vivit*, tanquam impossibilis, licet ea sit de præsenti.

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad 1.* Legum, & Canonum verba accipienda sunt propriè, nisi ampliationem favor rei, de qua Canon, aut Lex loquitur, & ratio Canonis, vel Legis petat, sicut contingit in nostro casu. *Ad 2.* Imprimis valde probabile est, etiam Conditions turpes de præsenti, & præterito pro non adjectis haberi, ut videbimus *infra n. 96.* Deinde esto, quod non habeantur pro non adjectis, negatur paritas; nam conditions turpes à Matrimonio rejiciuntur, quia inducunt ad peccandum, & agendum, quod est turpe, & inhonestum, impossibilis vero præcisè propter impossibilitatem. Atqui vis inducendi ad peccatum, & turpitudinem committendam invenitur solum in conditionibus de futuro; impossibilitas autem etiam in conditionibus impossibilibus & præsenti, vel præterito. Ergo ratio sufficiens est, quare ex turpibus conditionibus à Matrimonio rejiciantur solum illæ, quæ sunt de futuro, ex impossibilibus vero omnes.

Ad 3. Non obest, quod conditions de præsenti, vel præterito minus propriè, & strictè dictæ conditions sint, quia Pontifex in dispositione *c. fin. cit.* non tam proprietatem, quam impossibilitatem in conditionibus rejiciendis attendit.

Quæritur 5. An conditio impossibilis pro non adjecta habeatur etiam in Sponsaliibus? Affirmant Paludan. *in 4. disf. 29. q. 2. art. 5. concl. 7. ¶. respondeo in foro Judicij.* Sot. *ibid. q. 2. art. 2. ¶. mens ergo Pontificis.* Philiac. *de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. c. 1. §. tres conditiones.* Barth. à Ledesma *dub. 25. de Matr. concl. 7.* Bolco *p. 5. de Matr. D. 21. sect. 8. à n. 372.* Rosignol. *de Sponsal. prenot. 5. sect. 9. q. 34.* & hanc sententiam tantâ concordiâ à DD. teneri testatur

Ce

Sanch.

Sanch. l. 5. de Matr. D. 17. n. 2. ut fateatur, se quantumvis rationes in contrarium admodum urgeant, non tamen ausum esse ab ipsis divertere. Nituntur pricipue hac ratione; quia Sponsalia sunt initium, & via ad Matrimonium, ut propterea, quod de Matrimonio Jus disponit, etiam ad Sponsalia non male extendatur arg. l. oratio 16. ff. de sponsal.

76 Sed quamvis Sententia hæc ab autoritate sit admodum probabilis, à ratione tamen probabili est negativa, quam etiam cum Salmaticensibus defendant Rebell. p. 2. de oblig. Iust. l. 2. q. 10. f. 4. Perez D. 12. de Matr. sect. 3. n. 3. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. §. 6. à n. 22. Zœl. bic n. 22. Engl. n. 15. Schambog. n. 11. Wieschner n. 30. Reiffenstuel n. 51. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponsal. c. 3. n. 131. Ratio est 1. Quia de Sponsalibus quoad hoc Jus nihil dispositum. Igitur sicut cæteri Contractus, sub conditione impossibili initi, invalidi sunt, ita & Sponsalia, sub simili conditione contracta. 2. Quæ à Jure communii exorbitant, nequaquam ad consequentiam trahenda sunt Reg. quæ res 28. in 6, arqui dispositio c. fin. cit. conditiones impossibilis pro non adjectis habens, à Jure communii exorbitat, cùm juxta hoc, imò & naturale Jus contraetum, sub conditione impossibili initus, nullus sit arg. l. non solam 31. ff. de O. & A. ergo ulterius ad Sponsalia extendi non debet. 3. à simili; nam etsi per Decretum Trid. sess. 24. c. 1. de reform. Matr. Matrimonium clandestinum invalidum sit, tamen juxta communem, & certam, etiam adversariorum, sententiam dicta Concilij dispositio non extenditur ad Sponsalia, ex sola hac ratione, quia ratio illa specialis, quam Concilium pro Matrimonio habuit, non militat in Sponsalibus.

77 Intelligi autem hoc debet de conditione impossibili affirmativa, v. g. si dico cœlum tetigeris; nam si negativa apponitur, v. g. Si dico cœlum non tetigeris, contraetus censembitur purè initus, adeoque valet per clarum textum l. impossibilis 7. ff. de V. O. quia cùm, ejus contraria sit impossibilis, hujus negativa erit necessaria, vera, & præsens, quæ statim inest arg. c. in illa 8 ff. eod. Reiffenst. bic n. 51. ¶ intellige.

Ad Rationem in contrarium ullatum dicco, argumento l. cit. locum non esse, quando de Matrimonio aliquid statuitur ex speciali ratione, quæ in Sponsalibus non urget: ita autem sit in nostro casu; nam in Matrimonio, quando dubia est proferentis intentio, Conditions impossibilis habentur pro non adjectis ob periculum, ne si contra Matrimonij valorem pronuntiaretur, Matrimonium, quod re ipsa fortasse validum est, dissolvatur cum gravi injury Sacramenti, & animarum pernicie. Atqui tale periculum non affert dissolutio Sponsalium validè con-

tractorum. Ergo dispositio c. fin. cit. ad Sponsalia extendi non debet.

Quæritur 6. An Sponsalia, contracta à personis laborantibus impedimento dispensabili à Papa, sub conditione, Si Papa dispensaverit, viventur per adjectionem hujus conditionis? Certum est 1. Si impedimentum ejus sit generis, ut nunquam Papa solitus sit dispensare, prout est, quando frater, & soror sub conditione dispensationis sibi mutuo promitterent Matrimonium, vel contrahens sit Clericus in Sacris constitutus, neque urgeat causa gravissima, ut cum ipso dispensetur, talem Contractum esse nullum, & eam conditionem reparandam impossibilem. Sanch. l. 5. de Matr. D. 5. n. 2. König hic n. 7. ¶ at rectius de Sponsal. & Matr.

Certum est 2. Contractum omnino nullum esse, si sub hac conditione contrahantur Sponsalia, vel Matrimonium à personis laborantibus impedimento, in quo quidem Pontifex dispensare solet, sed non nisi ex causa legitima potest, & contrahentes hujusmodi causâ sunt destituti; nam cùm Pontifex dispensare licet in Jure communii non potest sine causa legitima, conditio, Si Pontifex dispensaverit, de Jure prohibita, cont. impossibilis foret. Reiffenstuel bic n. 32. Proceditque hoc, licet tali promissione Juramentum accedit; quia Juramentum non est vinculum iniuriantis c. quanto 18. de Jurejur. Sanch. l. cit. n. 3.

Certum est 3. esse verè Sponsalia, & obligare, quando obtenta dispensatione ratificatur prior consensus vel expresse, vel tacite procedendo v. g. ad Denuntiationes in Ecclesia faciendas &c. quia id est contractum promissionis continuare, & niti, ut ad effectum producatur. Sanch. n. 4.

Dubium est, an quando impedimentum tale est, in quo Pontifex ex iusta causa potest, & solet dispensare, & contrahentes habent hujusmodi causam, Sponsalia, sub conditione Dispensationis contracta, producant obligationem Sponsalitiam? Nequant Host. in c. super eo 5. b. tit. in princ. Joan. Andri. ibid. n. 2. Ancharan. n. 7. Abb. n. 8. Sylv. V. Matrimonium 3. q. 9. Victoria Summ. de Matrim. n. 258. Sot. in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. Henr. l. 11. de Matrim. c. 10. n. 4. Dian. p. 11. tr. 2. resol. 70. Wagner in c. fin. b. tit. V. si turpes not. 2. Card. de Luca in Annat. ad Concil. Trid. discurs. 27. Fatinell. respons. 6. n. 3.

Allegant pro se 1. Varias Decisiones Rotæ, imò perpetuam Rotæ praxin. 2. Quia Pontifex, cum sic impeditis dispensans, dat licentiam, ut illi contrahere Matrimonium possint, præmissis Denuntiationibus, & accidente præfentia Parochi, ac testium &c. ergo non valuit Matrimonium prius initum sub conditione, Si Papa dispensaverit, nisi accedit postea novus contentus.

3. Quia Conditio hæc habenda est pro inhonesta, utpote quæ adversatur Juri. Atqui secundum ea, quæ infra. 90. dicam, conditio turpis adjecta Matrimonio istud non vitiat, sed pro non adjecta habetur. 4. Imò conditio illa reputari debet pro impossibili; pendent enim à voluntate Pontificis. Atqui ea, quæ à Principis voluntate pendent, impossibilium loco haberri debent arg. l. cùm servus 39. S. fin. ff. de Legat. 1. ubi habetur, quod non valeat legatum rerum, ad Principem pertinentium, ex ea ratione, quoniam commercium eorum, nisi iussu Principis, non sit, cùm distracti non soleant: & per consequens infertur impossibile reputari, quod à voluntate Principis dependet. 5. Juxta l. continuus 137. §. cùm quis 6. ff. de V.O. non secundum futuri temporis jus, sed secundum praesentis astinari stipulatio debet: & hinc ibidem reprobatur stipulatio ejus, quod nunc impossibile est, postea possibile fieri potest. Atqui impedit secundum praesentis temporis jus, durante sc. impedimento, non possunt contrahere Matrimonium. Ergo licet contrahere illud possint, cùm dispensationem acceperint, hoc illis non proderit ad valorem Contractus sub conditione dispensationis init. 6. l. inter stipulaent 83. §. Sacram. 5. ff. eods reprobatur illa stipulatio, illum, liberum hominem, cùm servus esse cœperit, dare spades; item eum locum, cùm ex Sacro, Religiosō profanus esse cœperit, dari: ex ratione, quia nec praesentis temporis obligationem recipere potest. Atqui labrantes impedimento dicimenter de praesenti tempore non possunt recipere obligationem Sponsalitiam, aut Matrimonialem, ergo &c.

Sed melius Adrian. in 4. tr. de sponsal. dub. 10. Philiarc. de Offic. Sacerd. c. de sponsal. Covar. p. 2. de sponsal. c. 3. pr. n. 9. fin. Clar. l. 5. receptar. V. Iacephus, v. sed quid. Petr. de Ledesm. de Matr. q. 47. art. 5. dub. 2. concl. 3. Angles in florib. p. 16. q. 2. de Matr. Condit. art. un. dub. 3. Sanch. l. 5. de Matr. D. 5. n. 13. Conink D. 19. de Sacram. dub. 1. concl. 5. n. 18. § 38. Pont. l. 3. de Matr. c. 15. n. 5. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 4. Pal. tr. 28. D. 2. p. 11. §. 2. n. 5. Bosco p. 5. D. 11. sct. 8. concl. 6. Gobat Theol. Exper. tr. 10. n. 161. Wex adriana. p. 5. tr. 2. contr. 3. n. 10. Zypaeus Analyt. b. tit. n. 1. Zoes. ibid. n. 12. Engl. n. 16. Pirhing n. 26. Schambog. n. 33. König n. 17. Wietner n. 32. Reiffenstuel n. 25. Magnif. P. Schmier p. 1. de sponsal. c. 2. n. 28. § seqq. cum communi aliorum docent, ejusmodi conditionem pro possibili, & honesta habendam; & conf. Sponsalia ipsa, quibus adjicetur, valida, & casu, quo Dispensatio impletur, obligatoria esse.

Ratio est, quia licet quasi impossibile censerri possit, quod Princeps difficillime concedit. tamen neque impossibilia, ne-
R. P. Schmalzgrueber L. IV.

que turpia censerri debent, quæ ab ipso ex justa causa frequenter peti solent, & etiam impetrari. Tales autem sunt Dispensations in plerisque impedimentis Jure Ecclesiastico introductis. Ergo &c. Conf. Quia & alij actus tam inter vivos, quam mortis causæ celebrari possunt sub conditione dispensationis, vel consensu impetrandi à Principe; sic enim valet institutio Spurij sub conditione, si Princeps ipsum legitimaverit; venditio rei Feudalis, seu Majoratus sub conditione, si Dominus Feudi, aut Princeps voluerit; conventio de resignatione Beneficij cum pensione sub conditione, si Pontifex approbaverit &c. tametsi hæc conditions pendeant ab arbitrio, & voluntate Principis.

Ex quo sequitur 1. Sic promittentes 84 Matrimonium, vel etiam contrahentes, modò Impedimentum, quo ligantur, sit Juris Ecclesiastici, & à Pontifice dispensari in ipso soleat, non peccare sic promittendo, vel contrahendo, per se loquendo, & secluso scandalo, vel alio damno, ut l. citt. notans Covar. n. 7. Laym. n. 4. Sanch. n. 16. Pirhing n. 26. Schambog. n. 33. Ratio est, quia talis promissio versatur circa objectum licitum, nempe Matrimonium contrahendum v.g. inter consanguineos, vel alteri impeditos, post impetratam Dispensationem. Neque obstat, quod de praesenti inhabiles sint; quia solum sunt inhabiles ad contrahendum absolutè, & stante impedimento, non autem ad contrahendum conditionatè, & relate ad tempus, quo sublatum est impedimentum.

Sequitur 2. Si ita impediti sub tali conditione contraxerint per verba de futuro, eosdem teatari exspectare eventum conditionis, & impetrata Dispensatione, contrahere Matrimonium, si etiam alter in fide data perficit. Laym. Pirh. Schambog. l. citt. nam hoc commune est omni contractui conditionato, ne iste inanis omnino, & nungatorius sit. An vero, & quis Sponsorum sic contrahentium obligetur Dispensationem petere, dubium, & controversum apud DD. est Navar. l. 4. conf. 2. de sponsal. edit. 1. Conink D. 29. dub. 2. n. 35. Pal. tr. 28. D. 1. p. 16. n. 12. Reiffenstuel bic n. 34. putare utrumque contrahentem teneri tantum in sensu diviso vel procurare dispensationem, vel proportionato tempore exspectare, donec alter illorum eam procuret, nisi unus illorum ad hanc procurandam expresse se obligaverit. Contra Sanch. l. 5. D. 5. n. 36. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 4. & alij ab his citt. ad Dispensationem procurandam obligant eum, qui sub tali conditione Matrimonium primo promisit, ex ratione; quia qui promittit finem, is censetur etiam promittere media, sine quibus finis obtineri non potest; & qui ex aliqua Constitutione, vel conventione obligatur ad faciendum, obligatur etiam ad Ccc 2 cura

curandum, ut actus valeat. Schambog. hic n. 2. determinat ad eam petendam obligat Sponsum; quia sicut non est conveniens mulieri maritum querere, ita nec videtur convenire, ut illa suo nomine dispensationem petat. Similis Controversia est de sumptibus pro dispensatione factis; nam P. Reiffenstuel l. cit. n. 36. ad eos teneri docet solum illum, qui nuptias anhelans dispensationem procurat, quod alter non promiserit dispensationem procurare. Contrà Sanch. n. 37. cum alijs putat sumptus istos conferendos à parte ultraque; quia negotium commune est. Quare cum Jus circa hæc duo dubia nihil deciderit, locus erit arbitrio Judicis, qui hoc casu ferre sententiam secundum æquitatem debet.

Ad Argumenta n. 81. proposita non difficilis patet solutio. Ad 1. Decisionibus Rotæ à Diana allegatis opponi possunt Decisiones aliae, faventes in nostram Sententiam, quarum plures allegant Pal. l. cit. n. 10. & Gobat tr. 10. n. 165. ubi refert se compertum habere, fuisse Romæ in prima, secunda, & tertia instantia in simili casu pronuntiatum pro auctrice quadam Helveta contra sponsum, & hunc à duobus Pontificibus condemnatum ad ducendam Sponsam, cum qua Sponsalia sub conditione Dispensationis, postea impetratae contraxit. Quare ne faciemur, Rotam sibi ipsi contrariam esse, Decisiones à Diana allatae, ut P. Wex cit. n. 20. bene advertit, intelligi poterunt de casu, quo Sponsific contrahentes laborant impedimento, in quo Pontifex dispensare non solet, vel quando non adest sufficiens causa dispensandi. Ad 2. Bullæ illæ Pontificiæ, quæ sic impeditis dant licentiam ad contrahendum Matrimonium, solum loquuntur de casu, quo sub tali conditione Dispensationis contracta tantum sunt Sponsalia de futuro; nam Sponsalia de prælenti conditionata, posita conditione, secundum dicta n. 37. sine novo consensu transeunt in absoluta: & hinc causa non est, cur Pontifex eo casu novum requireat consentium, modò prior consensus conditionatus positus à contrahentibus fuerit coram Parocho, & testibus, & his casu, quo impedimento notiorum est, exhibeantur Litteræ Dispensationis super eo impedimento obtentæ. Ad 3. Licet observatione Legis ferè sit magis honesta, quæ Dispensatio luper ea imprecta, non tamen hæc propterea reputari inhonesta debet, cum Iuri modo ab ipso Jure approbato deroget, ut bene advertit Pal. tr. 28. D. 1. p. 16. n. 8. Ad 4. Id verum est, quando conditio talis est, in qua Princeps non solet dispensare: quod sufficienter indicat textus l. cùm servus cit. ubi additur, Cùm disfribi non soleant. Ad 5. & 6. In ijs textibus reprobatur stipulatio de re Sacra, publica, vel homine libero sub conditione, si illa profana, aut privata, & iste servus fiat, quæ conditions, tanquam dig-

niti, & statui derogantes, inciviles, & tristes sunt, atque ideo eventus earum timendus potius, quam exspectandus est l. cùm tale 72. ff. de condit. & demonstrat.

Quaritur 7. An valida sit promissio Matrimonij, quam sibi invicem faciunt laborantes impedimento aliquo dirimente, & hujus etiam conciij, non facta expressione Conditionis, si Papa dispensaverit? Pro valida illam habet Sotus in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. & revera fateor: cui si promissio illa jurata sit, consentiunt Tabien. V. Sponsalia q. 8. n. 9. & Armill. V. cit. n. 11. Ratios dant 1. quia promittens Matrimonium consanguinæ necessarii supponit dispensationem præmitendam esse, cum ea Jure insit, & aliter Matrimonium inter ipsos constare nequeat, igitur sicut conditio, si alter contrahentium voluerit, etiam non expressa subintelligitor, ita & ista. 2. Quia nisi de contraria mente pronuntiantis constet, verba, quantumvis generalia, restringenda & ita exaudienda sunt, ut actus Iuri conformetur, & conservetur arg. l. fin. C. de Usu atque conformatur Iuri, & conservatur, si dicatur, quod promissio in casu posito includat conditionem, si Papa dispensaverit, ergo hoc dici debet: si autem hanc conditionem includat, valebit promissio, ergo &c. 3. Quando Testator in Majoratu, vel Legato apponit, ut Successor ducat consanguineam, non est differentia, sive explicet precedente Dispensatione, sive id tacet; quia semper hoc intelligitur, & verba testatoris in dubio secundum Jus commune intelligentia sunt.

Sed melius negatur, quod ejusmodi promissio valida sit, saltem si de petenda dispensatione tractorum non sit. Ita Adrian. in 4. q. 3. de M. tr. dub. 10. ad 2. Covar. p. 2 de Sponsal. c. 3. pr. n. 7. Petr. de Lebesch. de Matr. q. 47. art. 3. dub. 2. ad 4. Ludov. Lop. p. 2. Instrukt. c. 42. de Matr. in solut. ad 3. Gutier. l. 1. qq. Canon. c. 22. n. 17. Sanch. l. 5. de Matr. D. 5. n. 26. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. contr. 3. n. 20. Wiestner bic n. 34. & colligi videtur 1. ex l. si stipulor. 35. §. item quod 1. ff. de V. O. ubi stipulatio ejus, quod Leges prohibent, habetur pro inutili. 2. Ex ratione; quia promissio secundum præsentis temporis Jus accipi debet l. continuus 137. §. cùm quis 6. ff. eod. atque sic promittentes Matrimonium in casu propositæ questionis præsenti tempore sunt inhabiles, ergo &c. 3. à pari cum spurio, cuius institutio, si facta sit sub conditione, si Princeps legitimaverit, vel dispensaverit, valet; non autem valet, si purè sit facta, effet autem valida etiam purè facta, si hujusmodi promissiones includerent tacite conditionem, si Princeps dispensaverit, ergo eam non includunt: cons. nec promissio Matrimonij in nostro casu.

Ne:

89. Neque obstant Argumenta opposita.
Ad 1. Patet ex modò dictis. Neque est paritas cum conditione, si alter voluerit; quia quòd inter impeditos constare Matrimonium nequeat, nisi Pontifice dispensante, non est ab intrinseco, & ex natura Matrimonij, sicut est, *Si alter voluerit*, sed ab extrinseco ex prohibitione Ecclesiae. **Ad 2.** Regula illa solùm procedit, quando ver-

ba sunt dubia; tunc enim accipienda illa sunt, & explicanda, ut actus Juri conformetur, & conservetur: aliter res se habet, quando verba sunt clara, prout in casu nostro clara sunt; nam tunc pro omisso habetur, quod verbis expressum non est. **Ad 3.** Eadem est responsio; nam dispositio illa testatoris solùm sustinetur, quando verba ejus sunt dubia;

§. IV.

De Desponsatione sub Conditione Turpi.

S U M M A R I U M.

- 90.** Turpis conditio, non contraria substantia Matrimonij, hujus contractui adjecta, pro non adjecta habetur per c. fin. h. tit.
91. Ratio hujus Constitutionis.
92. Quod procedit, quando dubium est, quo animo adjecta sit.
93. Hinc primò locum non habet quando Conditione illa reputatur esse honesta.
94. secundo, quando constat esse serio adiectam.
95. Tertiò, si contrahentes, c. cit. Constitutionem ignoraverint.

- 96. 97. 98.** An pro non adiectis haberi debeant etiam Conditiones turpes de presenti, vel de preterito?
99. 100. 101. Quid si talis conditio fit adjecta Sponsalibus?
102. 103. 104. An turpis, & pro non adjecta haberi debeat conditio, Si te Virginem invenero?
105. 106. 107. Aut, Si mecum concuberis?
108. 109. 110. 111. Vel, Si donaveris centum?
112. 113. 114. Quid dicendum de Conditionibus impertinentibus?

Turpes Conditions duplicis generis sunt, ut n. 5. vidimus; nam aliquæ repugnant substantiæ Matrimonij, aut um ex tribus illius bonis, quæ n. 6. & 7. retuli; alia contraria non repugnant illius substantiæ, aut tribus eisdem bonis, quales sunt: *Contractum, si occideris meum hostem, si furata fueris tantum quantum sufficit ad afferendam mibi dotem* Sc. De prioribus §. seq. sermo erit; de posterioribus

Quæritur 1. An Conditio turpis, quæ non est contraria substantiæ Matrimonij vel bonis ejus, suspendat valorem ejus, vel potius habeatur pro non adiecta? Pro non adiecta haberet, & cons. valorem illius non suspendere usque ad eventum eisdem, clarè deciditur c. fin. b. tit. cons. ex præsumptione Ecclesiae Matrimonium, sub conditione turpi contractum, haberet debet pro contracto purè, & absolutè.

Dubium est, quomodo, & unde Ecclesia præsumat conditionem illam haberet pro non adiecta, & esse purum consensum? Ratio dubitandi est 1. quia Ecclesia nunquam presumit verum esse Matrimonium, ubi ex ipsa forma Contractus non appetit consensus; alias temere præsumeret, & absque causa, at ex forma contractus sub conditione turpi non appetit consensus absolutus, sed sub illa conditione, ergo &c. 2. In cæteris Contractibus conditione turpis non habetur pro non adiecta, sed Matrimonium sequitur naturam cæterorum Contractuum, 3. Non appetit, unde Ecclesia præsumat ani-

mum sic contrahentis fuisse purum, cum ut plurimum ij, qui conditionem talem adjiciunt, velint omnino illam impleri.

Sed dicendum, merito hujusmodi conditions haberi pro non adiectis; quia ad peccandum invitant, & semper ea præsumptio capienda est, quæ peccatum excludit. Ita Sot. in 4. dis. 29. q. 2. art. 3. pauli post princ. concl. 2. Palacios l. 5. de Contract. q. quam ob rem. Henr. l. 11. de Matr. c. 12. n. 6. Barth. à Ledefm. dub. 25. de Matr. concl. 9. Lud. Lop. p. 2. Instrud. nov. de Matr. c. 43. ad fin.

Neque contrarium probant Argumenta opposita. **Ad 1.** Ecclesia merito præsumit consensum ab solurum, quia præsumit Matrimonium à contrahentibus esse intum juxta intentionem Ecclesiae, conditionem turpem rejiciens à Matrimonio. **Ad 2.** In hoc Matrimonium assimilatur potius ultimis Voluntatibus, quarum favore conditions turpes pro non adiectis habentur. **Ad 3.** Non semper constat, quod adiciens hujusmodi conditionem turpem Matrimonio omnino velit illam impleri.

Quæritur 2. Quando ejusmodi Conditions turpes haberi debeant pro non adiectis? 1. tum, quando dubium est, quo animo ejusmodi conditio turpis de futuro à contrahentibus adiecta sit; tunc enim favore Matrimonij, prout indicat c. fin. cit. illa, si substantia Matrimonij non repugnet, pro non adiecta habetur, & Matrimonium ab Ecclesia præsumitur purè intum. Sanch. l. Cc 3 s. de

g. de Matr. D. 15. n. 1. Conink D. 29. de Sacram. n. 42. Perez D. 16. de Matr. sect. 9. n. 2. & 3. Canis. in c. fin. b. tit. n. 5. Wagner-reck ibid. V. si turpes not. 1. Pirhing hic n. 17. not. 5. Engl. n. 8. Schambog. n. 11. Wies-ner n. 38. Reiffenstuel n. 42.

Ratio est, quia favor Matrimonij exigit, ut in dubio potius conservetur, quam dissolvatur arg. c. fin. de sent. § re judic. & c. directe 39. in fin. de Appell. conservabitur autem, si joco potius, quam serio, & contractum irritandi animo adjecta presumatur talis conditio, ergo ita adjecta presumi debet. *Conf.* Conditions impossibilis habentur pro non adiectis, ut dictum est n. 60. atqui conditiones turpes, cum ad delinquendum invitent, meritò habentur pro impossibilibus arg. cas. faciat 15. caus. 22. q. 2. ubi Gloff. V. eod. id solùm, inquit, dicimus facere posse. quod justè facere possumus, ergo &c.

93 Quæritur 3. Qui sint casus particulares, in quibus conditio turpis non habetur pro non adiectis? n. 1. si illa habeatur pro honesta; hoc enim casu fortiteretur naturam aliarum conditionum honestarum: conf. sicut ista, ita etiam illa contractus valorem usque ad eventum suspenderet, prout in simili n. 62. dictum est de Conditione impossibili, quam contrahentes putabant esse possibilem. Ariadn. in 4. dist. 29. q. 3. de Matr. dub. 7. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 5. §. 2. n. 6. Luid. Lop. p. 2. Instruct. nov. de Matr. c. 43. fol. 1093. Sanch. D. 5. cit. v. 7.

94 2. Si constet, eam Conditionem à contrahentibus serio adiectam, & consensum non nisi sub ejus eventu praestitum esse; tunc enim in utroque foro Matrimonium judicabitur nullum, nisi evenenter conditio. Covar. L. cit. n. 4. & 5. Sanch. n. 6. Conink D. 29. n. 41. Canis. in c. fin. n. 7. Wagner-reck ibid. V. si turpes not. 1. y. quia ratione, Pirh. n. 18. hic. Schambog. n. 15. in fin. Wies-ner n. 37. Ratio est, quia conditions turpes, sicut etiam impossibilis à Matrimonio rei- ciuntur, & habentur pro non adiectis, quod Canones in dubio presumant, eas non sive adiectas serio. at in calu proposito non est dubium, sed ponitur constare, quod serio adiecta fuerit, igitur cum presumptio veritati cedat, eo calu cessat presumptio, & Matrimonium, non eveniente conditione, judicari debet nullum ex defectu consen-sus, quem Ecclesia supplere non potest.

95 3. Si contrahentes, vel unus illorum, sub tali conditione iniens Matrimonium, ignoravit Constitutionem c. fin. cit. quâ conditions ejusmodi habentur pro non adiectis. Sanch. l. cit. n. 7. Pirhing n. 17. not. 6. & alij suprà; quia Constitutio non obligat ignorantes. Neque obstat, quod fideles omnes, dum Sacraenta recipiunt, censeantur illa recipere juxta intentionem Ecclesiaz, adeo-

que, et si apponant conditionem turpem, quia tamen illas Ecclesia rejicit, velle purè, & absolutè contrahere; hoc enim solum procedit, quando contrahens scit conditionem adiectam esse turpem, & simil scit illam ab Ecclesia rejici, ac pro non adiecta haberet, ut notat Pirhing l. cit.

Quæritur 4. An pro non adiectis ha-96 beri debeant etiam Conditions turpes de præsenti, vel de præterito, e. g. si occidi Patrem tuum ego tecum contrabo §. Victoria in Sunum. de Matr. n. 260. idem purat dicendum de his conditionibus, quod dicitur de conditionibus collatis in eventum futurum, scilicet non presumi, quod serio adiecta sint, nisi de animo adiectis constet; & suadere hoc etiam videtur favor Matrimonij arg. c. fin. de sent. § re judic. & paritas cum conditione impossibili, quæ si ve de futuro solum sit, sive etiam de præterito, aut præsenti, pro non adiecta habeatur, ut dictum est n. 73.

Sed communior sententia defendit 97 Negativam cum S. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 3. Paludan. ibid. q. 2. art. 5. n. 28. Adrian. q. 3. de Matr. dub. 9. §. respondeo ad 1. y. ad 3. Sylv. V. Matrimonium 3. q. 1. fin. Alex. de Nevo in c. de illis 3. b. tit. n. 16. Palacios l. 5. de Contract. c. ult fol. 498. y. quonobrem, Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 2. n. 3. Carrer. de Sponsal. l. 3. c. 3. Henrig. l. 11. de Matr. c. 12. n. 7. Sanch. l. 5. de Matr. D. 15. n. 5. Barbol. in c. fin. b. tit. n. 8. Engl. huc n. 14. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. §. 6. n. 22. & seqq. Maguif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 2. n. 108. quod etiam videtur probare ratio; quia conditio de præsenti, & præterito non est propriè conditio, nec ad delinquendum invitat, ob quam rationem videtur statutum Ju. e., ut conditio turpis habeatur pro non adiecta.

Neque obstat, quod c. fin. cit. turpes 98 conditions generaliter pro non adiectis ha-beantur; quia hoc cap. tantum loquitur de ijs conditionibus, quæ propriè dictæ Conditions sunt, & in quibus militat ratio, ob quam Conditions turpes à SS. Canoni-bus pro non adiectis habentur. Argumentum sumptum à paritate cum conditionibus impossibilibus n. 73. cit. solutum est, ubi dixi, Conditions impossibilis pro non adiectis haberi, quia impossibilis sunt, quæ ratio etiam in Conditionibus impossibilibus de præterito, & de præsenti militat.

Quæritur 5. An etiam in Sponsalibus 99 Conditio turpis habeatur pro non adiecta? 1. y. distinguendo: Vel enim Conditio illa substantia Matrimonij contraria est, vel non est contraria. Si primum, ut Matrimonium secundum dicenda infra n. 117. ita & Spon-salia ejus adiectione viriantur, & nulla sunt. S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. Scot. ibid. dist. 28. q. 3. n. 13. & teste P. Reiffen-stuel hic n. 57. communis aliorum arg. c. 100

⁹⁶ **n. b. tit.** licet enim de solo Matrimonio loquatur, quia tamen ratio dispositionis de his conditionibus etiam in Sponsalibus urgat, ad hæc quoque extendi debet arg. l. oratio 16. ff. de Sponsal. Vide n. 131. § seqq.

¹⁰⁰ **Si secundum**, non habetur pro non adjecta, ut cum DD. Salmanticensibus docet Petr. de Ledesm. de Matr. q. 47. art. 5. fin. Rebell. l. 2. de Oblig. Just. q. 10. sect. 5. Pont. l. 12. de Matr. c. 7. n. 3. Perez D. 12. sect. 3. n. 4. Pal. tr. 28. D. 1. p. 16. n. 4. Engl. hic n. 15. Schambog. n. 11. Wiestner n. 40. Reiffenstuel n. 51. § 58. Ratio est, quia in dubio standum est pro libertate, quando de Sponsalibus tantum agitur arg. l. Arrianus 47. ff. de O. § A. igitur in dubio, an joco, vel serio adjecta sit Sponsalibus talis conditio, præsumendum est adjectam serio, eaque Sponsalium obligationem suspendi.

¹⁰¹ **Ex quo sequitur**, quod post eventum conditio ejusmodi pariat obligationem Sponsalium absolutam. Post eventum, inquam; nam ante eventum nullam etiam eventum exspectandi obligationem imponit, cum inducat ad peccatum, ad quod obligatio nulla datur, ut bene advertit P. Wiestner l. cit.

¹⁰² **Quæritur 6.** An valida sit conditio, vel contra ut turpis rejicienda, quâ quis contrahit Matrimonium sub conditione, si te Virginem invenero? Gloss. in c. per tuas 6. V. præsumendum b. tit. Joann. Andr. ibid. n. 7. Alex. de Nevo in c. de illis 3. eod. n. 2. & alij apud Sanch. l. 5. D. 16. n. 5. dicunt eam conditionem rejici tanquam turpem, & sic Matrimonium manere purum. Contrà hoc negat Sot. in 4. dist. 29. q. 2. art. 3. post 3. concl. v. bis nibilominus, qui proinde putat ea conditione Contractum suspendi, quamvis intelligatur, si per coitum invenero te Virginem: quia ea conditio non fertur super actum turpem, sed super honestam Virginitatis conditionem.

¹⁰³ Sed melius distinguunt Navar. Matr. c. 22. n. 66. Covar. p. 2. de Spons. c. 3. §. 3. n. 12. Henriq. l. 11. de Matr. c. 12. n. 6. Sanch. D. 16. cit. n. 7. Perez D. 12. sect. 10. n. 7. § 8. Barbos. in c. 6. b. tit. n. 6. Pirhing hic n. 22. Schambog. n. 27. Wiestner n. 41. Reiffenstuel n. 38. § 39. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 2. n. 114. Nam si conditio hæc intelligitur de investigatione Virginitatis licita, quæ fit per honestas Matronas, & obstetrics, aut per inquisitionem de vita, & fama pueræ, vel alio licto modo, non debet rejici; quia non est turpis sed honesta conditio, ac propterea suspendit actum ad sui eventum.

¹⁰⁴ Si vero intelligatur de exploratione illicita, & per concubitum facienda, est turpis, & inhonesta conditio, eaque adjecta valet Matrimonium, ut purum, & absolutum; & quidem ut n. 6. cit. Barbosa

notat, ejusmodi Matrimonium, sa' tem in foro externo, sustineri deberet, etiam si illa, cum qua sic contraxit, non esset Virgo. **Neque obstat**, quod conditio Virginitatis honesta sit; quia quando apponitur, ut turpiter exploranda, fit turpis, & inhonesta.

Quæritur 7. Quid dicendum de conditione, si mecum concubueris, adjecta Matrimoniali contractui? Variè sentiunt, & loquuntur DD. apud Sanch. l. 5. D. 16. n. 1. § 2. Solvi quæstio hæc commodissime potest distinguendo: Vel enim conditio refertur ad concubitum, qui contractum Matrimoniale antecedit, vel ad eum, qui illum sequitur. **Si primum**, habetur pro non adjecta, cum sit de concubitu illico, adeoque turpis.

Si secundum, altera distinctio est adhibenda, an scilicet referatur ad concubitum, qui admittit deberet ante bimestre, à contractu Matrimoniali lapsum, quod alias Jure indultum est ad deliberandum de Religionis ingressu, an vero referatur ad concubitum fecuturum post illud bimestre. **Si prius**, conditio illa, ut vult Sanch. l. cit. n. 3. indifferens est, & propterea, cum etiam non includatur in Contractu Matrimoniali per se, illum verè conditionale reddit, ut non nisi conditionis impletione transeat in absolutum.

Si posterius, Matrimonium perinde, acsi conditio adjecta non fuisset, purè initium censetur arg. l. bæredis 7. §. tractari 5. ff. quando dies legat. & l. si servo 47. ff. de condit. & demonstr. quia ad hunc concubitum relata conditio ferè inest ipso Jure; ea vero, quæ sic insunt, supervacuè exprimuntur, & perinde se habent, ac si non essent expressa, atque ad summum admonitionis, non vero conditionis loco habentur l. Cornelius 69. ff. de hered. inst. l. mutuo 6. §. si sub conditione 1. ff. de tutel. Pirhing hic n. 22. Schambog. n. 27. Wiestner n. 42. Maguis. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 2. n. 115.

Quæritur 8. Qualis censenda sit turpis, an honesta conditio, adjecta Sponsalibus, vel Matrimonio, si donaveris centum, vel alia similis? Aliqui conditionem istam pro turpi absolutè habent ex ratione; quia conjugium quasi venale reddit, & ita contrahens propter libidinem, aut alio pravo affectu contrahere videtur: quæ causa est, quod l. nec est 2. ff. de donat. int. vir. § uxor. & l. si ita 97. §. si tibi 2. ff. de V. O. stipulationes, sub ejusmodi conditione factæ, rejiciantur.

Sed dicendum, si conditio hæc, ut ferè solet, ac præsumitur fieri, ex justa causa, v. g. in compensationem dotis, nobilitatis, juventutis, aut alterius qualitatis, quæ in altero excellit, apponatur, eam habendam pro honesta, & cons. ut alias conditiones de futuro contingenti, obligatoriam esse.

Ita

Ita Abb. in c. de illis 3. b. tit. n. 3. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. S. 3. n. 1. § 2. Sanch. l. 1. D. 33. n. 4. & l. 5. D. 6. n. 6. Barbos. in c. 3. cit. n. 4. Canif. ibid. n. 2. Gonzal. n. 2. Wagnerreck. s. tantum. Pich. hic. n. 7. Schambog. n. 4. Wieschner n. 43. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 2. n. 46. Ratio est, quia tunc cessat presumptio libidinis. Et confirmatur ex c. de illis cit. ubi conditio, ex rati causa adjecta Sponsalibus, & Matrimonio non rejicitur absolute.

210 Dices cum Alex. de Nevo in c. de illis cit. n. 3. in c. cit. dicitur, si mibi donaveris. id autem, quod gratia dotis, nobilitatis &c. compensanda datur, donatum dici non potest, cum ad supportanda Matrimonij onera detur l. pro oneribus 20. C. de Jure dotium. ergo &c. R. verbum Donaveris hoc loco non accipendum rigorose, sed pro eo, quod ex causa aliqua datur, ut moneret Sanch. n. 4. cit. & colligitur ex ipso textu; nam ibi agitur de Donatione deducta in pactum, ac proinde non mere gratuita, sed onerosa.

211 Ad II. n. 108. allegatas dico, ibi non reprobari talem stipulationem absolute, sed tantum dici, causâ cognitâ, actionem denegandam esse, i. e. Judex prius cognoscere debet, an honesta, vel probabilis causa hujusmodi stipulationis fuerit, an contra inhonestata. Deinde dici potest, quod c. de illis, & II. cit. loquantur de casibus diversis, &c. de illis quidem de casu, quo causa hujusmodi conditionem addendi est justa, & honesta; Leges cit. autem de casu, quo causa est inhonestata, & Matrimonium libidini venale redditur. Talem presumptiōnem existimat Sanch. l. cit. n. 5. esse, quando non foemina viro, sed vir foemina nobilitate, opibus, aliisque dotibus par,

aut præcellens promittit centum sub conditione, si illa ipsi nupserit.

Quaritur 9. An conditiones imperitantes habeantur pro non adjectis in Matrimonio, vel potius illud suspendant? Pro non adjectis habendas existimat Sot. in 4. dist. 29. q. 2. art. 3. paulò post priue. cond. 2. Barth. à Ledesim. dub. 25. de Matr. cond. 9. & nonnulli alii; & videatur istud probari ex eo, quia turpe appetat Contractū tam sancto, & qui Sacramentum est, impertinentem conditionem adjicere, sed conditio turpis secundum dicta n. 90. pro non adjecta habetur, ergo &c.

Sed melius hujusmodi conditiones dicuntur Matrimonij Contractum suspendere, ita ut iste aliter non valeat, nisi illisstantibus. Ita Abb. in c. super eo 5. b. tit. n. 4. Alex. de Nevo ibid. n. 6. Sanch. l. 5. de Matr. D. 13. n. 3. Ratio est, quia omnis conditio Jure non reprobata, apponi Matrimonio potest, ut colligitur à contrario sensu ex c. super eo cit. ibi, Ac conditionem ipsam Canonica non improbant statuta. Atqui conditions impertinentes nullo Jure reprobantur; si enim aliquo Jure repudiantur, reprobarentur per c. fin. b. tit. ubi rejiciuntur conditions turpes, atqui à turpibus conditionibus ad impertinentes duci argumentum nequit; quia impertinentes ad nullum peccatum inducunt, cons. in illis non pugnat ratio, ob quam à Matrimonio rejiciuntur conditions turpes, ergo &c.

Ex quo cadit Argumentum oppositum; licet enim adjicere hujusmodi conditionem impertinentem sit aliqualis culpa; quia tamen ad peccatum non incitat, non est ex turpibus, quæ à Matrimonio rejiciuntur.

S. V.

De Desponsatione sub conditione contraria substantia Matrimonij.

S U M M A R I U M.

- 115.** An Contractum Matrimonij vitient Conditions, quæ substantia, & bonis ejusdem repugnant, si illæ sint de praeterito, vel de presenti?
- 116.** Quid si talis conditio de futuro adjecta sit, sed ab uno contrahentium tantum?
- 117.** Quid si addita sit ab ambobus contrahentibus?
- 118.** Vel aduersetur tantum bonis Matrimonij distincti, non ejus, quod hic, & nunc contrahabitur?
- 119.** An conditio, contraria bonis Matrimonij, solam vitiet Matrimonium, quando illa turpis est, an etiam, quando honesta?
- 120.** Defenditur, per utramque vitiari.
- 121.** Hujus Sententiae Argumentum.

- 122.** Solvuntur Rationes oppositæ.
- 123.** Quid dicendum de Matrimonio, contrario sub ea conditione, ut hiceat ante consummationem ingredi Religionem?
- 124.** Vel sub conditione non cohabitandi?
- 125.** Non petendi debitum?
- 126.** Aut illud non reddendi?
- 127.** Vel non reddendi, quando illicitè petit?
- 128.** Dilucanter Argumenta opposita.
- 129. 130.** An valeat Matrimonium contractum à Jadeis, vel Paganis sub conditione, ut possint dare Libellum Repudij juxta ritum eorum?
- 131. 132. 133. 134.** An etiam Sponsalia vitientur per conditionem contrariam substantia, & bonis Matrimonij?

Con-

Contra substantiam Matrimonij secundum dicta n. 6. pugnare censetur tunc Contractio, quando pugnat contra triplex bonum Matrimonij, contra bonum proli, bonum fidei, & bonum Sacramenti.

Quæritur 1. An Contractum Matrimonij videntur Conditiones appositæ, si illæ repugnant substantiæ, & bonis Matrimonij? **n.** Distinguendo : Vel enim talis conditio apponitur de præsenti, aut præterito, vel de futuro. **Si de præsenti, aut de præterito,** Matrimonium ejus appositione non vitiatur, sed ea existente valet, illa non existente nullum est. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 1. n. 9. Henr. l. 11. de Matr. c. 12. n. 7. &c. 4. 1. Coiment. lit. F. Barth. à Ledel. dub. 25. concl. 10. Sanch. l. 5. de Matr. D. 9. n. 6. Barbos. in c. fin. b. tit. n. 1. Pirhing. hic n. 14. Wieschner n. 47. & colligitur ex c. fin. sit. quia ibi Pontifex loquitur de conditionibus veris, quales non sunt conditiones, quæ tempus præteritum, vel præsens respiciunt. **Ratio est**, quia conditio de præterito, vel de præsenti adjecta Matrimonio non respicit obligationem, prædictis tribus bonis contrariam, sed tantum actus executionem. Atqui substantia Contractus Matrimonialis non executio ejusmodi actuum, sed obligatio ad eos exequendos adversatur, ut cum S. Thoma, Turrecremata, & alijs ostendit Sanch. l. 2. de Matr. D. 29. n. 12.

Si vero Contractui Matrimoniali adjecta sit de futuro talis conditio, altera distinctione est adhibenda, & videndum, an ab utroque contrahentium adjecta sit, an ab uno tantum. **Si ab uno tantum**, alter verò contradixerit, Matrimonium valet perinde, acsi conditio talis apposita non fuisset, ut rectè Covar. §. 1. cit. n. 11. Barbos. in c. fin. cit. n. 9. Fagnan. ibid. n. 4. Pirhing hic n. 14. Schambog. n. 14. Wieschner n. 48. **Ratio est**, quia si apponens ejusmodi conditio-nem, alterius contradictione non obstat, ad Contractum Matrimonialem processit, favore Matrimonij à conditione apposita recessisse præsumitur arg. c. per tuas 6. b. tit. Idem dicendum existimat Schambog. l. cit. casu, quo post appositorum taliter conditionem ab uno, alter tacet; tunc enim favore Matrimonij censetur contradicere, & idem erit, acsi conditio non esset apposita.

At si talis Conditio adjecta sit ab ambo bus contrahentibus, vitiat, & invalidum reddit Contractum, prout expressè deciditur c. fin. cit. Estque conclusio hæc vera etiam stando Jure naturali, ut bene Sanch. D. 9. cit. n. 4, conf. Pontifex, dum in c. cit. definitivit, conditiones has vitiare Matrimonium, nihil novi statuit, sed quod Jus naturæ dictavit, declaravit. **Ratio est**, quia sine substantia nihil potest subsistere. Atqui substantia Matrimonij consistit in consensu ad Societatem conjugalem, ad fidem mutuò sibi servandam, prælémque suscipiendam, quæ sunt tria bona

B. P. Schmalzgruber l. IV^a

Matrimonij. Ergo conditiones, quæ hic adversantur, destruunt Matrimonij substantiam, & cons. ipsum annullant. **Conf.** Quia alij Contractus annullantur ob conditionem adversam illorum substantiarum, ut si Contractus Societatis ineatur ea lege, ut lucrum, & damnum commune non sit, aut Contractus emptionis venditionis eo pacto, ut emptor rei venditæ dominium non acquirat. Ergo similiter vitiat Matrimonium conditio repugnans substantiæ illius.

Intelligi autem hoc debet, quando conditio adjecta adversatur præsenti Matrimonio, cuius contractui apponitur; non enim vitiat Matrimonium, si alij Matrimonio adversetur, ut Contrabo tecum si feceris, ut conjux Petri adulteretur, vel sumat venena sterilitatis; sed talis conditio potius, tanquam turpis, habebitur pro non adjecta, salvo valore Matrimonij ita contrarii, ut cum Paludano, & Ludovico Lopez benè advertit Sanch. l. cit. n. 5. **Ratio est**, quia conditiones ejusmodi ideo vitiant Matrimonium, quia solvunt substantiam Matrimonij sub tali conditione initi. Atqui quando solum adversatur bonis Matrimonij alterius distincti, substantia hujus Matrimonij salva, atque illæsa manet, ergo &c.

Quæritur 2. An conditio, contraria bonis Matrimonij, istud vitiet solum, quando illa est turpis, an etiam, quando honesta, v. g. Si mecum vivas in perpetua castitate, si hanc voves &c. Non vitari per conditionem honestam, defendunt Paludani. in 4. dis. 30. q. 2. art. 1. concl. 2. n. 6. Abulens. in c. 30. Num. q. 32. ad fin. Rebelli. l. 2. de oblig. Just. q. 10. sect. 3. Pont. l. 9. de Matr. c. 11. n. 5. Bosco de Matr. D. 11. sed 1. concl. 9. à n. 421. Wagnerbeck in c. fin. V. contra substantiam not. 3. b. tit. Clericat. de sacr. Matr. decis. 3. n. 21. & seqq. Krimmer hic à n. 805. Magnif. P. Schmier p. 2. de Matr. c. 2. n. 118. & seqq. Moventur 1. Quia conditiones istæ non recensentur inter illas, quæ Matrimonium de Jure irritant; alias enim in c. fin. cit. etiam istarum facta fuisset mentio. 2. Quia jus, & obligatio ad copulam non est de substantia Matrimonij, cum istud contrahatur solo consensu l. nuptias 30. ff. de R. 7. & eo contracto, utrumque, salvæ ejus substantiæ, tolli potest, ut sit, quando alteruter conjugum lapsus est in adulterium, vel incestum. 3. Sponsi contrahere possunt Matrimonium cum intentione servandi castitatem, vel ingrediendi Religionem juxta c. commissum 16. b. tit. ergo possunt istud etiam in pactum deducere, & conditionem taliter adjicere Matrimonio. 4. Ad effentiam Matrimonij sufficit dominium mutuum corporum inter conjuges. Poteft autem dominium directum stare sine usufructu, vel dominio utili. 5. Si conjuges, initio iam Matrimonio, in similem conditionem, vel pactum consentiant mutuo, talis conditio, vel

D&

vel

vel pactio valet, adimplenda est. 6. Imo validè ineunt Matrimonium duo, quorum interque obstrictus est Voto Castitatis, licet debitum exigere neuter valeat. Ergo poterit ejusdem contractui etiam apponi conditio de debito non reddendo, vel petendo. 7. Si talis conditio non posset adjici Matrimonio, non conflitisset Matrimonium inter B. V. & S. Josephum. Sequela est contra Historiam Evangelicam Matth. 1. v. 18. Luc. 1. v. 27. & textum can. conjux 9. caus. 27. q. 2. ergo &c.

120 Hac Sententia admodum probabilis est, probabilior tamen videtur, quæ negat Matrimonium, sub tali conditione contra dictum, validum esse. Ita S. Thom. in 4. dist. 28. q. 2. art. 4. ad 3. S. Bonavent. dist. cit. q. ult. n. 33. Richard. ead. dist. art. 2. q. 4. ad 3. Sot. dist. 29. q. 2. art. 3. ¶ in prima, Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 1. n. 5. Carrer. l. 4. de Sponsal. c. 5. Sanch. l. 5. de Matr. D. 10. n. 2. ¶ Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 9. Barbos. in c. fin. b. tit. n. 3. Gonzal. ibid. 8. fin. König tit. de Sponsal. 102. ¶ negant. Zel. Et. n. 5. Engl. 10. Pirk. n. 13. Schambog. n. 19. Wieschner n. 52. & multi alij, iisque præcipui nominis TT. & Canonistæ. Colligitur ex c. fin. cit. ubi Pontifex Gregorius IX. dicit Matrimonium vitiani conditione contraria bono prolixi, nec distinguit inter conditio nem honestam, & turpem, sed vim tantum ponit in contrarietate cum substantia Matrimonij, non vero in sola conditionis turpitudine.

121 Ratio est, quia licet de substantia Matrimonij non sit copula, nec intentio illius exigenda, vel reddenda, est tamen de substantia illius mutua corporum traditio, vi cuius Matrimonium contrahentes in se mutuo transferunt jus in corpus suum ad actus conjugales, ac proinde implicitè saltem se obligant ad eos reddendos. Atqui contrahentes sub conditione servandæ, aut vendenda perpetua Castitatis jus istud, & implicitum consensum ad actus conjugales reddendos appositione talis conditionis excludunt, cum vi illius ad copulam non exigendam, & non reddendam obligentur, ergo &c. Conf. à pari: Si Petrus, & Paulus v. g. contrahant, & Petrus Paulo vendat fundum Tusculanum aureis 100. & in continentia addat, ita tamen, ut si volet Petrus, possit Paulo fundum tradere, & Paulus, si volet, Petro 100. aureos solvere, talis Contractus ipso Jure est nullus; quia ita habetur l. in vendentis 13. C. de contrab. empt. ubi Imp. in vendentis, inquiunt, vel ementis voluntatem collata conditione comparandi, quia non adstringit necessitate contrahentes, obligatio nulla est. Ergo etiam, si ineatur Matrimonium, ita, ut ex eo nulla nascatur obligatio alteri reddendi debitum, illud erit nullum. Si autem Conditions sic apposita valerent, tunc nulla nasceretur obligatio, quam requirit

Matrimonium; quia contrahentes deberent conditionem, & pactum implere, & quisque alterum, qui debitum conjugale sibi reddi peteret, repellere per exceptionem conditionis de eo non reddendo contractui appositæ posset, ergo &c. Videatur Tit. 1. n. 261. ¶ duob. seqq.

Argumenta Adversariorum non sunt ¹²² ita firma, ut responsionem non patiantur. **Ad 1.** Conditions c. fin. cit. recensita sunt tantum exempli causæ; idem enim dicendum de omnibus alijs conditionibus, que substantia Matrimonij adversantur, cum ratio Legis in textu expressa generalis sit. Abb. in c. fin. cit. n. 2. Alex. de Nevo ibid. n. 3. Pirhing hic n. 13. & hinc dici potest, quod etiam præsens casus in c. cit. continetur implicitè. **Ad 2.** Matrimonium contrahitur consensu, non tamen quocunque, sed tali, qui simul sit mutua corporum traditio, & translatio Juris ad petendos, & exhibendos actus conjugales; talis autem consensus stare non potest cum conditione servandi, aut vendendi perpetuam Castitatem. **Ad 3.** Cum tali intentione servandi Castitatem, vel ingrediendi Religionem potest subsistere consensus in obligationem mutuam, & jus exigendi debitum; non autem potest confitare, si in ipso contractu addatur conditionis talis, cum vi istius sit, à quo petitur debitum, jus acquirat repellendi petentem obtentu contractus cum tali conditione initi, quippe qui non aliter obligat, quam in qua forma est initus. **Ad 4.** Dominum directum sine dominio utili consistere non potest, quando contractus ex vi essentia sua ordinatus in finem usum: quod contingit in Matrimonio. **Ad 5.** Negatur paritas; quia si semel contractus substantia legitimè fuit posita, per actum supervenientem, licet substantia illius contrarium, non vitiatur Contractus, prout patet ex l. empti 9. C. de contr. empt. ubi dicitur, si post contractum emptoris initum, ex post facto vendori emptori remittat pretium, contractum subsistere; & qui emit, dicitur rem illam emptoris titulo possidere. l. pretij 9. C. de refind. vendit. **Ad 6.** Iterum negatur paritas; nam si Votum continentia præcessit contractum Matrimonij, per ejusmodi Votum non tollitur traditio corporum mutua ad actus conjugales, sed tantum res, scilicet corpus, ad continentiam promissum DEO, per contractum Matrimoniale traditur alteri, quod licet fiat illicitè, sit tamen validè, ut patet in venditione equi, qui si fit venditus Cajo, non tamen eidem traditus, per secundam venditionem, accedente traditione, Sempronio factam, in hujus dominium transit. **Ad 7.** B. V. cum S. Josepho contraxit Matrimonium sine consensu quidem in copulam; at non sine traditione Juris, & potestatis in corpus suum; quod ipsa, non obstante Voto Castitatis, quod

quod habuit, licet facere poterat; quia Divina revelatione certum ei erat, quod debitum conjugale ab ipsa nunquam esset exigendum, ut docet S. Aug. relatus *can. Beata 3. cap. 27. q. 2.* & S. Thom in *4. dist. 30. q. 2. art. 2. ad 1.*

Quæritur 3. Quid dicendum de alijs similibus conditionibus, qualis est. 1. Ut liceat ingredi Religionem ante consummationem Matrimonij? 2. Quâ tollitur obligatio cohabitandi simul? 3. Quæ excipit, ut non petatur debitum? 4. Quæ liberat ab obligatione illud reddendi?

p. Ad 1. Ea conditione certò non vitiat Matrimonium; quia Jure inest; cum Matrimonium ratum ex dispositione Juris imbibitam sibi habeat conditionem, *Nisi statum perfectiorem elegero*, ut latius dicitur *Tit. seq.* Idem dicendum de quavis alia conditione, qua Jure communi inest, si apponatur eo modo, quo inest, ut post Joan. Andri. Anch. *Proposit. Alex.* de *Nevo* advertit Sanch. *l. 5. de Matr. D. 10. n. 6.* Aliud foret, si ea poneatur conditio, ut ambo, vel alter ingredi Religionem teneretur ante, vel post Matrimonij consummationem; nam sub ea conditione contractum, ut idem Sanch. *l. cit. notat*, non valeret: & ratio est, quia licet ante Matrimonij consummationem licitum sit profiteri Religionem, non tamen ad id tenentur conjuges; consil. ea conditio non apponitur eo modo, quo Jure inest: & quia tollit mutuam corporum ad copulam traditionem, tanquam repugnans substantiæ Matrimonij, illud reddit invalidum. Sanch. *l. cit.*

Ad 2. Distinguendum est cum Petrus de Ledesma, *de Matr. q. 47. art. 5. dub. 4. in foli. conf. ad 6.* Sanch. *l. cit. n. 5.* & alijs. Nam si sit paëtum de non coabitando ad certum tempus, non vitiat Matrimonium; secus, si sit paëtum de nunquam coabitando: quia ad essentiam Matrimonij non pertinet omni tempore coabitare, bene tamen mutua habitatio, prout patet ex definitione *Tit. 1. n. 223. tradita*, ubi dixi, quod per illud conjuges se ad *individuum vita societatem* obligant. Addit Sanch. *l. cit.* irritum fore Matrimonium, si ea conditione contraheretur, ut certis diebus, v.g. sextis feriis, vel alio tempore ultra bimestre præfinitum à jure post initum Matrimonium abstinerent conjuges à copula conjugali; quia conditio hæc est contra totalem corporum traditionem. Bene tamen, & meritorie post initum Matrimonium per hujusmodi paëtum ad abstinentiam à copula certis diebus, vel omnino servandam se obligant, prout *suprà de Voto continentia dictum est*, modo per hoc incontinentia periculo se non explicant.

Ad 3. putat Sylv. *V. Matrimonium 4. q. 7.* ea conditione Matrimonium non vitiat; quia non exigere non est contra bo-

B.P. Schmalzgrueber L. IV.

num prolixi, quæ reddendo generari potest; nec contra bonum fidei, utpote quam sufficienter servat conjux reddendo. Sed melius Adrian, *in 4. q. 3. de Matr. dub. 9. in 2. foli. ad 3. Barth. à Ledesma. dub. 25. de Matr. post 4. concl. not. 2.* Henrig. *l. 11. de Mar. c. 4. n. 1.* Sanch. *D. 10. cit. n. 4.* dicunt adjectio-ne ejus conditionis Matrimonium vitiare; quia de ratione Matrimonij est totalis corporum traditio, ex qua dimanet mutuum, & æquale jus in utroque ad corpus alterius. Atqui in hoc casu hæc totalis traditio non fieret; non enim traderetur jus petendi: neque exurget æquale jus ad corpus; quia alter haberet jus petendi, & reddendi, alter verò solum jus reddendi.

Ad 4. Convenit inter DD. si simpli *126* eiter ineatur Matrimonium sub conditione non reddendi debitum, ea conditione vitiat Matrimonium; quia est contra bonum prolixi, & contra bonum fidei.

Dubium est, si ita apponatur conditio non reddendi, ut ad hoc reddendum non teneatur conjux, quoties alter non exigit licet? Et quidem Ant. Cucchus *l. 5. Inst. major. tit. 11. n. 112.* putat hanc conditionem Matrimonium non vitiare. *1.* Quia conditio hæc videtur Jure inesse; cum nemo teneatur cooperari alterius peccato. *2.* Conditio hæc est ansiā peccati mortalis removens. *3.* Quia hoc casu red-ditionem debiti non videtur exigere bonum prolixi, utpote quæ non nisi per grave alterius peccatum potest suscipi.

Sed dicendum, conditionem istam *127* repugnare substantiæ Matrimonij, & sic illud vitiare. Ita Adrian, *in 4. q. 3. de Matr. dub. 4.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 1. n. 6.* Ludov. Lop. *p. 2. Instrukt. nov. de Matr. c. 42. fol. 1080.* Petr. de Ledesma, *de Mar. q. 4. art. 5. dub. 4.* Sanch. *l. 5. D. 11. n. 3.* Ratio est, quia ad substantiam Matrimonij pertinet, ut per illud acquiratur a conjugibus jus Justitiae ad corpus alterius, quod retinente, etiamsi à petendo per virtutem Religionis, vel temperantiae prohibeantur. Atqui jus istud Justitiae, quod alter conjux per Matrimonium acquirere debebat, ut sibi petenti debitum redderetur, per conditionem ejusmodi tollitur, ergo &c. Aliud foret, si apponetur conditio, ut toties licet conjugi negare debitum, quoties alter non habet jus petendi, prout fit, si alter adulteretur, vel petat in loco Sacro; nam talis conditio Jure inest, ac proin, ab ea Matrimonium non vitiatur. Sanch. *n. 3.*

Neque obstant Argumenta contraria. *128*
Ad 1. Non omnis consensus in peccatum alterius est cooperatio, sed quando aliquis sponte consentit; secus, quando consentit, quia cogitur ex debito Justitiae, vel alterius Virtutis. *Ad 2.* Ansi peccati removeri sic debet, ut ea remotione jus alterius non violetur; sic autem violatur

Dd 2.

Jus

Jus conjugis ; quamvis enim iste Voto simplici e. g. impeditus illicitè petat jure tamē perit, quod jus ipsi aufert præfata conditio. Ad 2. Matrimonium, cum sit contractus Justitiae, quo conjuges obligantur ad sibi invicem reddendum debitum, tantum respicit hoc jus Justitiae, & quoad ipsum impetrinens est, si aliunde contra Votum peccatur : manet igitur adhuc, quod dicta conditio pugnet contra bonum prolis.

129 Quæritur 4. An si Pagani, vel Judæi contrahant Matrimonium ea conditione, ut possint dare Libellum repudij, juxta ritum eorum, valeat Matrimonium ? Affirmant nonnulli apud Sanch. l. 5. de Matr. D. 12. n. 2. inter Judæos sic contractum Matrimonium validum esse ; quia Lex eorum hoc permittit. Potest autem licet deduci in partum, quod Jure inest.

Sed dicendum, modò nullum esse Matrimonium, sub tali conditione contractum. Gloss. in c. de infidelibus 4. ¶. esse Matrimonium de consanguinitate. Host. ibid. in fine, Covar. p. 2. de Sponsal. c. 3. §. 1. n. 5. Sanch. l. 3. D. 12. n. 3. Ratio est, quia hodie, postquam Libellus repudij antiquatus à Christo est, etiam Matrimonia Iudaorum infidelitatem habent, excepto unico casu, quando unus convertitur ad fidem, & alter conjugum sine injurya Creatoris cohabitare eidem non vult. Igitur conditio præstantis Matrimonio infidelitatem, substantia ejusdem repugnat. & cons. id vitiat.

130 Idem à fortiori dicendum est de alijs Infidelibus, quibus nunquam licuit libellum repudii dare. Et extendi debet ad quasunque conditiones alias, quæ conformes quidem sunt eorum ritui, repugnant autem Institutioni Matrimonij à Deo in Paradiso factæ, ut si Infidelis contrahat ea conditione, ut sibi licet habere tot uxores, quot potest alere, Sanch. n. 4.

131 Quæritur 5. An etiam Sponsalia viuentur, ac reddantur nulla per conditionem contraria substantia, & bonis Matrimonij ? ¶. Cum distinctione ; nam si conditio contraria Sponsalibus apponitur, ita, ut post contractum Matrimonium contra bonum prolis, Sacramenti, aut fidei

conjugalis implenda sit, tali casu etiam Sponsalia irritari docet S. Thom. in 4. diff. 27. q. 2. art. 1. S. Bonavent. ibid. diff. 28. q. 3. n. 13. Sanch. l. 5. D. 14. n. 3. & teste P. Wiefner hic n. 46. communiter DD. cæteri arg. l. oratio 16. ff. de Sponsal.

Si verò debeat impleri ante contra-¹³² Etum Matrimonium, videndum est, quali bono Matrimonij opponatur ; nam 1. si est contra inseparabilitatem, ut *Contraham tecum*, nisi ante initum Matrimonium aliam ditionem invenero, nec Sponsalia, nec Matrimonium vitiat conditio sic apposita : non Sponsalia ; quia hæc sunt ex natura sua dissolubilia, & contrahi possunt sub conditione resolutoria, ut dictum est supra n. 14. non Matrimonium ; quia hoc si contrahatur, manet indissolubile, licet præcessint Sponsalia dissolubilia.

2. Si verò conditio sit contra Matri monij fidem, ut *Contraham tecum*, si ante Matrimonium forniceris, iterum nec Sponsalia, nec Matrimonium vitiantur : Matrimonium quidem ; quia ad fidem istius duntaxat pertinet, ne postquam corporis dominium in alterum translatum est, istud tradatur alteri : Sponsalia autem ; quia hæc conditio quidem turpis est, conditio turpis tamen, nisi tollat aliquod bonum Matrimonij, Sponsalia non vitiat, sed illa, si de futuro est, usque ad eventum suspendit.

3. Si autem adveretur bono prolis,¹³³ ut *Contraham tecum*, si venenum sumas, quo sterilis efficiaris, tam Matrimonium, quam Sponsalia, si in ambo conditio ista influat, vitiantur ; quia per eam conditionem obligatur contrahens ad aliquid contrarium bono prolis, quod per Matrimonium promissum intenditur : unde adversatur Matrimonio promisso. Hinc, ut optimè monet Sanch. l. 5. D. 9. n. 7. licet secundum dicta n. 115. conditio repugnans substantia Matrimonij de præterito, vel præsenti adjecta Matrimonio illud non vitiet, excipiens tamen est casus, quo conditio illa afficeret, & tangeret Matrimonium in futurum, prout fit in casu præsenti ; quia perinde est, ac obligare se in futurum ad venenum sterilitatis sumendum.

§. VI.

De Causa, Demonstratione, & Modo adjecto Sponsalibus, vel
Matrimonio.

S U M M A R I U M.

135. An aliquando Matrimonium suspendat, vel vitiet Demonstratio, vel causa adiecta?
 136. Respondetur negativè.
 137. Hujus ratio.
 138. Exceptio duplex.
 139. Quid dicendum, si eidem adiiciatur Modus possibilis, & contingens.
 140. Si vim Conditionis suspensivæ non habeat?
141. 142. Quid si adiectus sit Modus impossibilis?
 143. Aut contrarius substantia, & bonus Matrimonij?
 144. Resolutio questionis.
 145. Respondetur ad opposita.
 146. 147. Quam vim habeant Sponsalia vel Matrimonium, que contrabuntur in dies certum, vel incertum.

Quartitur 1. an aliquando Matrimonium suspendat, vel vitiet Demonstratio, vel Causa adiecta, v. g. *Duco te, quæ Virgo es, accipio te in uxorem, quia dives, vel pulchra es.* *Navar. Man. c. 22. n. 62.* vult ejus appositione vitiare Matrimonium, quando illa est contra substantiam, & bona Matrimonij: & videtur itud probare ratio; quia eo ipso, quod ita contrahens non absolvit, sed sub ea causa, & demonstratio ne, quæ substantia Matrimonij adveratur, consentiat, non videtur absolutè consentire in Matrimonium.

Sed dicendum, ejusmodi Demonstrationem, & Causalā, qualiscunque illa sit, five revera, five falsa, five honesta, five turpis, contraria substantia Matrimonij, vel non contraria, per se nunquam suspendere, aut vitiare Matrimonium. Ita *Paludan. in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. concl. 1. n. 5. & art. 2. concl. 1. n. 11. Sot. dist. cit. q. 2. art. 1. Lud. Lop. p. 2. Instruct. nov. de Matr. c. 42. paulò post prim. Sanch. l. 5. D. 19. n. 2. Conink. D. 29. n. 45. Pal. tr. 28. D. 2. p. 11. §. 5. n. 2. Wagner. in c. fin. V. si turpes ib. tit. not. 6. Zœf. bic n. 18. & seqq. Honor. n. 9. Engl. n. 20. Pirhing n. 29. Schambog. n. 42. König n. 27. & 28. Reiffenstuel n. 61. Magnif. P. Schmier. p. 1. de Sponsal. c. 3. n. 139. & p. 2. c. 2. n. 148.*

Ratio est; quia quæ Matrimonium variant, aut vitiant, debent ad substantiam, seu vim contractū spectare, sed Demonstratio, & Causa non spectant ad substantiam Contractū Matrimonialis, sed tantum declarant opinionem, quam habet contrahens circa personam, cum qua contrahit, & causam, quæ illum ad contractū hunc celebrandum movet. ergo &c. *Conf.* quia falsa Demonstratio non vitiat Legatum l. falsa 35. ff. de condit. & demonstr. ergo nec Matrimonium, quod est favorabilius. *Neque* refert, quod non contraheret, si sciret talem Demonstrationem, vel Causam non subesse; quia talis voluntas est tantum habituālis, nec impedit, ut non actu, & absolutè con-

sientiat, Conink l. cit. Zœf. n. 20. Schambog. n. 42.

Dixi autem per se; nam duo casus: 38 excipiendi sunt. Unus est, si talis Demonstratio, vel Causa reducatur ad errorem circa substantiam personæ, vel conditionem libertatis, ut si quis dicat, *Contrabo tecum Matrimonium, quæ, vel quia es libera, aut primogenita filia Petri;* nam si non sit libera, vel primogenita filia Petri, irritum est Matrimonium, non tamen ratione falsæ Demonstrationis, vel causæ, sed propter errorem personæ, vel conditionis, quippe cum Matrimonium, ex tali errore contractum adhuc foret irritum, etiam si talis Demonstratio, vel causa non fuisset adiecta. Sanch. D. 19. cit. n. 2. fin. cum alijs supra. Alter casus est, quando apponuntur per modum conditionis; tunc enim de illis, sicut de conditionibus, judicandum est. Sanch. n. 3. Ita per modum conditionis apponi censetur teste Zœf. n. 18. si sit in futurum collata, ut si dicas, *Contrabo tecum, quæ, vel quia tantam dotem afferes;* habet enim sensum, *Contrabo tecum, si tantam afferas dotem.*

Quartitur 2. an modus adiectus Matrimoniali Contractui, si honestus ille, & possibilis sit, illum aliquando vitiet, vel suspendat? & negative, si retineat naturam modi, & non degeneret in conditionem. Ita Sot. in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. concl. 1. Lud. Lop. p. 2. Instruct. nov. de Matr. c. 42. paulò post prim. Sanch. l. 5. D. 19. n. 9. Conink D. 29. de Sacr. n. 46. Laym. l. 5. tr. 10. p. 2. c. 7. n. 10. Zœf. bic n. 16. Engl. n. 3. Pirhing n. 30. Schambog. n. 44. Wiesner n. 55. Reiffenstuel n. 63. Magnif. P. Schmier p. 1. de sponsal. c. 3. n. 136. & p. 2. c. 2. n. 146. Ratio est, quia modus in hoc differt à Conditione propriè dicta, quod hæc suspendat actum, cui apponitur, ita, ut ante eam impletam obligatio absoluta non consurgat; Modus vero non suspendat actum, sed is statim valeat, & vim suam habeat, et si Modus ejusmodi nondum impletus sit, cum obligatione tamen, ut alter contrahens modum, cum quo contractus

Dd 3

ini-

initus est, impletat. Pater istud etiam in alijs Contractibus; nam si quis dicat: *Dono tibi equum, ut mihi patrocineris apud Principem,* equus eo casu quidem statim fit donatarij, sed ab hoc per ipsam acceptationem Donationis contrahitur obligatio, ut modum impletat, sub quo Donatio ipsi facta est, & apud Principem patrociniū suum interponat.

240 Addidi, si retineat naturam Modi; nam aliquando vim Conditionis suspensiva habet. Porro, ut cognoscatur, quando censiū debet Contractus initus sub Conditione suspensiva, & propriè dicta, quando autem sub Modo, attendendum est, utrum contrahens voluerit statim esse actum validum, an verò ut esset validus primū, quando conditio est impleta. Si statim voluit esse validum, sed alterum contrahentem obligare solum voluit ad aliquid post faciendum, censiū debet contractum esse sub Modo factum; si verò voluit, ut tunc primū valeret, quando conditio est impleta, præsumi debet, Contractum esse initum sub conditione propriè dicta, & suspensiva. Laym. c. 7. cit. n. 11. Engl. bicn. 4. Pirhing ibid. n. 32.

241 Quaritur 3. an valeat Matrimonium, cui adjectus est modus impossibilis, v. g. Contrabo tecum ea lege, ut digitō calum tangas, ut montem aureum mihi des; vel cui adjectus est Modus turpis, & illicitus, v. g. ut Patrem tuum interficias. Matrimonium eo casu valere, & modum illi adjectum ob favorem Matrimonij haberi pro non adjecto. Paludan. in 4. disl. 29. q. 2. art. 1. concl. 1. Petr. de Ledean. de Mar. q. 47. art. 5. dub. 3. fin. Palao tr. 28. D. 2. p. 11. S. 5. n. 2. Perez D. 16. scil. 15. n. 14. Engl. bicn. 7. Wietner n. 55. Reiffenstuel n. 64, quibus accensiū possunt omnes illi, qui indubitate afferunt, Matrimonium contractum sub modo statim valere, acsi Modus adjectus non esset. Ratio est, quia modus, & ex eo orta obligatio posterior est, & supervenit Contractui Matrimoniali jam perfecto, cui adjectus est, igitur valorem illius non potest tollere. Conf. quia quando agitur de Matrimonio, & ejus valore, semper capienda est illa præsumptio potius, ex qua dicatur subsistere, quam ut illud intereat subsistet autem, si dicatur contrahens in illud consensu absolute, nec valorem ejus alligasse Modo adjecto. ergo &c.

242 Ratio est, quia conditio impossibilis, vel turpis non vitiat Matrimonium, vel suspendit, sed habetur pro non adiecta, ut dictum est supra n. 60. & 99. ergo multo minus illud vitiat Modus impossibilis, vel turpis, cum hic non suspendat Contractum, sed superveniat illi jam perfecto. Conf. quia modus impossibilis, & turpis in ceteris actibus Contractum non vitiat, sed pro non adjecto habetur. ergo nec in Matrimonio, quod sequitur naturam aliorum Contractuum, ut lape dictum est.

243 Quaritur 4. utrum hoc etiam dicendum sit de Modo contrario substantiæ, aut bonis Matrimonij, quales forent: *Contrabo tecum, ut generationem prolis evites vel donec inveniam aliam ditionem, aut si pro queru adulterandam te tradas.* Negant Co- var. p. 2. de Sponf. c. 3. S. 1. n. 7. Molin.

tr. 2. de J. & J. D. 208. n. 3. Sanch. l. 5. de Matr. D. 19. n. 5. Laym. l. 5. tr. 10 p. 2. c. 7. n. 11. ¶ porro, Barbos. in c. fin. b. tit. n. 5. Bosco de Matr. D. 11. scil. 3. concl. 11. per totam Zos. bic n. 17. Honor. n. 8. Pirhing n. 30. Schambog. n. 45. König n. 29. fin. Magnif. P. Schmier p. 1. de Sponf. c. 3. n. 138. & p. 2. c. 2. n. 144. Rationem dant, quia id generatim loquendo in omnibus Contractibus obtinet, quod quando contrahebas, dum actu contrahebas, vult alterum obligari ad praestandum quidpiam repugnans ipsi substantiæ Contractus, satis significet te non habere veram, & senam voluntatem ineundi talē Contractum; sine vera autem voluntate, seu contentiu Contractus non subsistit. ergo &c. Conf. nam, ut n. 117. dictum est, conditio contraria substantiæ Matrimonij adjecta Matrimonio vitiat Matrimonium. ergo & Modus, cum videatur eadem esse de utroque ratio.

Hæc Sententia probabilis est tum ab authoritate, tum à ratione; probabilior tamen videtur affirmativa, videlicet non obesse Matrimonio etiam Modum contrarium substantiæ Matrimonij adjectum Matrimonio, sed eum, ut ceteros modos impossibilis, & turpes, pro non adjecto haberi. Ita Sot. in 4. disl. 29. q. 2. art. 1. concl. 1. Petr. de Ledean. de Mar. q. 47. art. 5. dub. 3. fin. Palao tr. 28. D. 2. p. 11. S. 5. n. 2. Perez D. 16. scil. 15. n. 14. Engl. bicn. 7. Wietner n. 55. Reiffenstuel n. 64, quibus accensiū possunt omnes illi, qui indubitate afferunt, Matrimonium contractum sub modo statim valere, acsi Modus adjectus non esset. Ratio est, quia modus, & ex eo orta obligatio posterior est, & supervenit Contractui Matrimoniali jam perfecto, cui adjectus est, igitur valorem illius non potest tollere. Conf. quia quando agitur de Matrimonio, & ejus valore, semper capienda est illa præsumptio potius, ex qua dicatur subsistere, quam ut illud intereat subsistet autem, si dicatur contrahens in illud consensu absolute, nec valorem ejus alligasse Modo adjecto. ergo &c.

Ad Argumentum Adversariorum Rationis n. præc. allata probat, idem dicendum esse de ceteris Contractibus, si Modus ejusmodi illis adjectus sit, & is intra modi existentiā sistat, & non participet potius naturam conditionis. **Ad Conf.** negatur partas; nam consensus dependenter à conditione elicetur, & hujus existentiæ alligatur; non verò elicetur dependenter à Modo, neque alligatur ejusdem existentiæ. Et hinc non obstat, quod contrahens sub tali modo intendat obligare alterum ad aliquid contrarium substantiæ Matrimonij; nam et si hoc ita sit, & alter fortasse hujusmodi obligationem acceptet, quia tamen consensus in

Ma-

Matrimonium absolutus est, & à neutro alligatur hujusmodi obligationi, aut even-
tui, quem ista respicit, idcirco istud valori Matrimonij nocere non potest, quippe cu-
jus consensus praefitus est independenter ab eo, quod est contrarium substantiae Ma-
trimonij.

¹⁴⁶ Quæritur s. quam vim habeant Spon-
falia, vel Matrimonium, quæ contrahun-
tur in diem certum, vel incertum? &
distinguendum esse, utrum dies adiectus sit
per modum termini à quo, ut Sponsalia, vel
Matrimonium quoad suos effectus pro con-
tracto habeatur à tempore existentis diei;
an verò tanquam terminus *ad quem*, ut ad-
veniente die, Sponsalia, vel Matrimonium
obligare cesserent.

Si primum, dies adiecta, sive certa il-
la sit, sive incerta, habet vim Conditionis
suspensivæ, & facit, ut ante diem signatam
obligatio Matrimonialis, vel Sponsalitæ non
nascatur. *Si secundum*, habet vim condi-
tionis resolutivæ; confit sic contracta Sponsa-
lia de futuro valent, non valet sic contra-

ctum Matrimonium, utpote à quo Condi-
tiones resolutivas n. 14. rejecimus.

Ex quo patet invalidè contrahi Ma-¹⁴⁷
trimonium, si quis dicat, *Contraho tecum ad*
certos annos, ut bac, vel illa circumj. nia
eveniente. vel non eveniente possim iterum di-
fcedere, aut alteri nubere, prout in multis lo-
cis faciunt Hæretici, utpote qui cum hac ex-
pressa, sibique prælecta conditione contra-
hunt, ut una pars discedere, & alteri pro
libitu queat nubere, si compars adulterium
committat, vel ab Hæresi ad Fidem Catho-
licam se convertat. Reiffenstuel *bic n. 48.*

Supereffet altera Rubricæ pars, scilicet de Conditionibus appositis in alijs Con-
tractibus: sed quia de his sufficienter actum
est tum in Libr. 1. Tit. 31. de Patris, tum
in Libr. 3. Tit. 14. de precarijs, & pluribus
alijs consequentibus, idcirco non eft necesse
hic ea repetere. Solùm hic noto, Ma-
trimonium, & Contractus alios hic pares ef-
fe: & hinc ut Matrimonio, ita & alijs Con-
tractibus adjici modum, & conditiones pos-
se.

T I T U L U S VI.

Qui Clerici, vel Voventes Matrimonium contrahere possunt.

Praesens Rubrica tria Conjugiorum Im-
pedimenta nobis offert, duo Dírimen-
tia, videlicet Ordinem Sacrum, & Profes-
sionem Religiosam, & tertium Impediens,

Votum Castitatis Simplex: quibus ob simi-
litudinem quandam Disparitatem Cultus an-
nectemus.

S. I.

De Ordine Sacro.

S U M M A R I U M.

1. 2. Ordo Sacer dirimit Matrimonium contra-
bendum.
3. Quod procedit etiam in Clericis Orientalis
Ecclæzie.
4. In minoribus Ordinibus constitutus Matrimo-
nium valide, & licite contrahit.
5. Solvuntur Argumenta opposita.
6. Sponsalia ante contracta dirimuntur per Or-
dinem Sacrum.
7. Non tamen Matrimonium, etiam ratum tan-
tam.
8. Et ita ordinatus absque consensu conjugis ef-
ficitur Irregularis.
9. Respondetur ad Rationem dubitandi.
10. Quo Jure Ordo Sacer dirimbat Matrimonium
contrabendum? Rationes dubitandi.
11. Deciditur dirimere solum Jure Ecclesi-
stico.
12. 13. 14. Rationes assertionis.
15. Satisfit Argumentis oppositis.
16. An impedimentum istud inducat Ordo Sa-
cer, suscepitus ante usum rationis?
17. Vel ante pubertatem adeptam? Rationes
dubitandi.
18. Defenditur Negativa.
19. Diluuntur argumenta opposita.
20. Quid, si quis ad ejus susceptionem indu-
ctus est vi absoluta?
21. Vel metu gravi iniuste incusso?
22. Fundamenta Sententiæ negant, eo casu
contrabi obligationem continentie.
23. Prefertur Sententia affirmans.
24. Rationes ipsius.
25. Respondeatur ad opposita.
26. Quam obligationem contrahat, qui sacrum
Ordinem suscepit invalide?
27. 28. 29. An saltem ad continentiam teneatur
ex Voto Simplici?
30. An conjugatus ad Ordines promoveri possit,
invita conjugi?
31. Quid dicendum de Ordinibus minoribus?
32. Casus, quibus promoveri, invita uxore po-
tes.

33. 34.